Lumbi mei.) Sic etiam Hieron. Alii, illa, femora, coxendices, intestina, præcordia. In emendatis Græcis est ἡ ψυχή μου *anima mea*. Præterea in Psalterio veteri, &, Romano, & Ambrosiano in Arabico, & Æthiopico: item apud Ambrosium, Augustinum, Cassiodor. Arnobium, Fulgentium *a*, Eusebium Cyrillum, Apollinarium. Testatur Ambrosius dixisse LXX. *animam*, Symmachum, *lumbos*. Basilius, legens *lumbos*, (quod facit quoque Origenes, Theodoretus; Euthymius) refert, Aquilam legisse, αἱ λαγόνες μου, *femora mea*. Vox Hebræa בסלום *chesalim*, significat ilia conjuncta renibus sub lumbis, item renes, latera, vertebras, spondylos: intestina quoque, & similes partes; ac per metonymiam facultatem generativam. Nomen Græcum ψόαι, vel ψύαι, vel ψοίαι, sumitur pro matricibus rerum, spinæ musculis, vertebris, lumbis ipsis, quibus renes subjacent, quasi à ψάω, quod libidinis pruritum indicat quæ, ut etiam Job *b* scripsit, in lumbis, ac renibus est. Lege quæ de renum dixi notione Psalmo *c* VII. XV. *d* XXV. *e*, & de lumborum, in 1. Petri Epistolæ cap. 1. *f*. Apte congruit putrefactioni, & corruptioni partis istius lumbare putrefactum Jeremiæ *g*, de quo antea memini. Trevetus interpretationem sequens Hieronymi, legit *ilia*, & exponit, quod solerent hostes, quos capiebant denudare ad ignominiam usque ad ilia: quemadmodum Hannon Rex Ammonitarum, nuntiorum David rasit dimidiam barbæ partem, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates *h*. Sic esset oratio metaphorica: nec enim re ipsa nudatus eo modo David legitur. Significaret autem se ab omnibus ludibrio habitum, quibus notum fuisset adulterium suum, quod lumbi designant.

Alphonsus Palæotus in opere de stigmatibus sindoni Christi impressis *i*; plagam in lumbis Christi, quam sindon exhibet, probat hujus loci testimonio simul, quum Jeremiæ *k*, *misit in renibus meis filias pharetræ* suæ, & Job *l*, *lanceis suis convulneraverunt lumbos meos*. Christum ea in parte tamquam plagam excipere voluisse, ut lascivientem libidinem nostram comprimeret. In lumbis gestasse dici potest velut attramentarium scriptoris *m*, & lumbare illud Jeremiæ *n*, nulli aptum usui. Ad litteram, si non moribus pudendus in corpore; vel libido titillans, certe sub hac figura vehementes intelliguntur afflictiones, quia in lumbis viget robur. Nam eadem ratione in Psalmo *o* dicit inflammatum cor, & renes commutatos, & Jeremias *p*, *missas in renibus suis filias pharetræ*: & Isaias *q*, repletos lumbos dolore, seque ab angustia possessum. Cajetanus ait; alludi ad violatas concubinas David, à filio Absalon, qui de lumbis ejus exciderat: sicut, & putredinem cicatricum infamiam, quæ inde ipsi provenerat.

Impleti sunt illusionibus.) Hieronymus, *repleti sunt ignominia*. Aquila, *latera mea impleta sunt dedecore*, ἐπληρώθησαν αἱ λαγόνες μου ἀτιμίας, Chaldaicè, *combustione* קריחותא *kedichutha*, nempè propter inflammationem libidinis, aut apostematis, ulcerisve. Quamvis Nebiensis reddat *illusiones*: Dictio Hebræa נקלה *nikleh*, redditur à nonnullis ardor, sive combustio, & pruritus, aut vilipendium, & negligentia, à radice קלה *kalah*, torrere, assare, comburere, & *niphal*, vilescere, contemptibilem esse. Ulcerosus, & libidinosus contemptibilis est, atque ignominiæ obnoxius: & ipsummet sui ipsius pudet, erubescitque, deprehendens, quam sine fructu *r* abierint turpes voluptates, & quomodo ludificatus fuerit falsis imaginibus rerum jucundarum, ut omittam rationem Ambrosii, de qua prius dixi; & acceptionem *ludi* pro actu venereo.

Quum Paulus *s* armans nos, jubet lumbis succinctos esse in veritate, Chrys. *t* interpretatur, in vera voluptate, modestia, honestate: quia; ut hoc loco dicitur, illusio est ἔμπαιγμα, & vanitas concupiscentiæ, non voluptas, sed umbra voluptatis. Pœnitens hoc David quum canebat, scribebatve, lumbos fortassis cilicio succinxerat (qui mos receptus *u*,) & olim repletos illudente voluptate serio replebat dolore, quemadmodum in hac ludit antithesi Hieron. tractans Isaiæ *x* verba: *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut parientis*: (quæ nempè angustia succedit voluptati Venereæ) *corruit quum audirem*, (vel incurvatus sum) *conturbatus sum quum viderem*. Idem valet apud Ezech. *y*, *ingemiscere in contritione lumborum*: & apud Poetam *z*, *rumpenda ilia Codro*.

a Epist. 3. c. 20. Epist. 4. c. 5.
b c. 40. 11. c v. 11. d v. 7. e v. 2. f v. 13. g c. 13. 1.
h 2. Reg. 10. 4.
i c. 9.
k Thr. 3. 13.
l c. 16. 14.
m Ezec. 9. 2. n c. 13. 11.
o 72. 21. p Thren. 3. 3 q 21. 3.
r Rom. 6. 21.
s Eph. 6. 14. t Hom. 67. ad popu.
u Iudith. 8. 6.
x c. 21. 3.
y c. 21. 6. z Eclog. 7.

Præterea *lumbos repletos illusionibus* videtur David intelligere, quia vulgatum postea ipsius adulterium, aliis ipsum illudendum, ac ridendum exposuit: cum ex hujusmodi vitioso actu, qui maximè cum bestiis communis est, majorem reprehensionem homines, & probrum incurrant, ut Aristoteles *a* docet. Quæ videri potest caussa, quare Deus ipse ad primos homines jam ejectos de paradiso, & bestiarum vestitos pellibus, quia bestiales in carne sentiebant motus, ob quos etiam erubescebant, irridens, diceret, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est b*, qui habitu sicut, & corpore jam jumentis, quum honorem in quo erant, non intellexissent, & non conservassent, similes evaserunt *c*. Nulla item in hominis sensibus operatio est, ex qua plures, ac majores existant illusiones in mente, quam ex prurigine libidinis. Fortitudo Diaboli in lumbis nostris est *d* hisce membris, ceu armis quum nos impulerit servire immunditiæ *e*, hoc est, sibimetipsi, qui est spiritus immundus *f*, & fornicationis *g*, exprobrat, irridet, illudit, insultat, ut solent victis victores, Ad hunc modum est impudica fœmina de Joseph, cui nequivit persuadere adulterium *h*; *Ingressus est ad me servus Hebræus, ut illuderet mihi*. Qui sponte usu proprii corporis fornicatur, contumeliis afficit corpus suum in semetipso *i*: tradens se tyrannidi blandæ dominæ, *irreverentis, & infrunitæ k*. Quis hostis, ait Seneca *l*, in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? Enervant, infringunt vires, elumbes reddunt quos occupant hæ voluptates; atque, ut idem denuo scripsit Stoicæ sectæ Philosophus *m*, præcipue sunt exturbandæ, & invisissimæ habendæ, latronum more; quos *Philetas* (nimirum Latinè quasi *Piletas*, & *compiletas*, idest, compilatores) Ægyptii (quum Græcè loquerentur sub imperio Macedonum, postque) vocant; in hoc nos amplectuntur (est namque φιλεῖν, unde Græca vox *osculari*, amplecti, quod latrones subdolè faciunt,) ut strangulent. Exemplo sit Jahel, Sisaram ex hujusmodi occidens insidiis *n*: & Joab, Amasam *o*, Illudunt, falluntque nos voluptates, quia non præstant, quod pollicentur præseque ferunt: nec enim satiant, vel explent appetitionem; sed, ut per somnium bibentem, comedentemq; lassam, & vacuam relinquunt animam *p*. Irritant; sed irritum inaneque desiderium infiniti boni, ac æterni, res peritura, & ad instar puncti *q*, atque finita reddit. Nec siliquis porcorum prodigus implere ventrem poterat *r*. Rectè in salis versa statuam uxor Loth est *s*, quæ non restrinxerat libidinis Sodomiticæ, vel delectationem, vel consensum, sal enim accendit sitim, arcetque putredinem carnis. Quæ Poma desiderii animæ Joannes in Apocalypsi *t*, discedentia, quæque amplius non inveniantur, vocat, sunt voluptates pomis similes Pentapolitanis, de quibus egi, ut & de statua salis, cap. 10. *u* libri Sapientiæ, quæ tamen pulchra ad levem tactum abeunt in cineres. Nec hoc solum; sed post qualem qualem fruitionem voluptatum cum illusione, probroque damna gravissima consequuntur, ut non referret tanti emere pœnitere.

Nullus finis illusiones enumerare si velim, à Diabolo, mundo, carne. Quantæ sint illusiones animæ; ait Augustinus, (*animam* legens pro *lumbis*, ut dixi) si voluero dicere, tempus quando sufficit? cujus enim anima, ista non patitur? Eumdem lege, & Gregorium, atque Innocentium, deque paullo recentioribus Gulielmum Pepinum auctorem moratissimum, nec ineruditum. Tres Sophistas jure appellaveris cum Innocentio capitales illos hostes conspirantes inter se contra nos, conficientesque syllogismum, quo alludat mundus, ut subtiliter differit idem Innocentius, eludat caro, illudat Diabolus; mundus, proponendo veluti in majore propositione blanditias sæculares; caro, assumendo tamquam in minores sensuales illecebras; Diabolus, ceu per conclusionem inferendo sempiterna tormenta. Sic alluditur animæ, inquit, ut elidatur, sic eluditur, ut illudatur. Nec illudit Diabolus tamquam tentando, sed ad tempus interquiescendo, ut magis incautos illudat, derideatque *sabbata nostra x*, id est, ocium nostrum, atque securitatem.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum y, Hebr. *illusorum* לצים *letsim*; quique cavet illusores dicentes *z* *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*; & illos

a Sect. 28. Probl. l. 2.
b Gen. 3. 18
c Ps. 48. 13. 21.
d Iob. 40. 13.
e Rom. 6. 19
f Matt. 12. 43
g Os. 4. 12.
h Gen 39. 14
i Rom. 1. 24.
k Eccl. 23. 6.
l Epist. 39.
m Epist. 51. Philetæ Ægyptii.
n Iud. 4. 18. & seq.
o 2. Reg. 20. 9
p Isa. 29. 8.
q Iob 20. 5.
r Luc. 15. 16
s Gen. 19. 26
t c. 18. 14. u v. 7.
x Thren. 1. 7
y Psal. 1. 1.
z Luc. 14. 30

illos, qui juxtas proprias concupiscentias ambulantes dicunt: *Ubi est promissio, aut adventus ejus* a: Mitto quæstionem Theologicam de illusione pollutionis, de qua Gregorius Augustino scribit Angelorum Episcopo *b*. Orus Apollo os spinæ dorsi pingi solitum hieroglyphice scribit ad designandam luxuriæ sedem. Id voluit etiam ille qui cecinit,

c *cum tibia lumbos*
Incitat.

& alius *d*,

cum carmina lumbum
Intrant.

lege Joanem Baptistam Portam *e*. Lumborum verò dolores peracres esse, malique signi, docet Hippocrates *f* cum scholiaste Galeno, & divinæ litteræ testantur *g*.

Non est sanitas in carne mea.) Vers. 4. hæc eadem jam verba declarata sunt. Dixi quoque prius Basilio visum, & Euthymio significare Davidem se ad compescendas illusiones libidinosas carnem castigasse, atque illicitæ à carne voluptatis, pœnas exeguisse. Gregorius interpretatur idem esse, ac omnia corporis membra, quæ ad usum vitæ data sint, ad erroris materiam inclinare, & in pravi operis convertere instrumentum: nullam partem corporis intentatam remanere, per quam nos peccati desiderium non titillet: denique non habitare in carne nostra *bonum* h.

a 2. Pet. 3. 4.
b l. 12. ep. in 31 ad inter. 11.
Luxuriæ hieroglyph
c Iuv. Sat. 6.
d Persius Satyr. 1.
e 2. Phys. c. 20.
f l. 1. prædict.
g Iob 16. 14. Isa. 16. 3. Ier. 10. 6.
h Rom. 7. 18.

Vers. 9.) Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Vers. 10.) Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Vers. 11.) Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

PErgit contentissima oratione, & affluenti verborum cursum calamitates, & angores recensere, illum præcipue dolorem, quem commemoratæ lumborum illusiones ginebant in eo. Nunc adeò magnum fuisse dicit, ut ipsum disrumperet, atq; conteret, & in voces erumpere, gemituq; cogeret non humanos, sed leoninos. Tum verò appellat Deum testem, optimeque conscium quantopere desideraret à tanta infelicitate, & necessitate liberari, quantos ederet gemitus, & suspiria in illis angustiis, & cruciatibus suis: cor quam illi mœstum; & turbatum, perplexum esset conscientia peccatorum, iræ divinæ consideratione, metuq; quo pacto illum animi, & corporis vires destituerent: oculi demum ipsi quantam præ continentibus lacrymis caliginem, tenebrasq; contraxissent. Chrysost. in homilia, & Hesychius in catena, qua ratione de Christo exponant ista, cognoscet qui leget, scilicet propter persecutores, & ob desiderium quo flagrabat salutis Judæorum, & omium: quod expressit etiam in ultimi paschæ celebratione *i*, dicens, *desiderio se illam desiderasse*, tum præterea cor ei turbatum, eadem de caussa dereliquisse illum virtutem, roburve, quando Petrus negavit; lumen defuisse, quum quos *lucem* appellaverat *mundi k*, Apostoli tempore passionis illo relicto fugerant *l*. Ambrosius *m* etiam explicat de Christo.

Afflictus sum.) Hieronymus, *evigilavi*. Alii, *debilitatus sum*, lassatus, mœrore fractus, collisus, dissolutus, relaxatus, mutus, laxatus, commotus, concussus, remissus, seu remissis, & dissolutis viribus fractus. Significat נפוגתי *nephugothi*, hæc omnia: non tamen, ita *evigilare*, nisi vigiliam sumamus pro insomnio. Euthymius quidem τὸ ἐκακώθην explicat afflictione per ultro susceptas vigilias, famem, sitim chameuniam, hoc est humicubationem, & si quid est hujusmodi: vires autem debilitat valde, resolvit; carentia somni. Evigilavit etiam David admonita Nathan, priùs somno quodam, & lethargo sopitus. Augustinus legit, *infirmatus sum*, Ambrosius, Cassiodorus, Innocentius. Hieronymo quoq; tributus Commentarius, Gregorius item in suo, & alia salteria, & Fulgentius *n*, *incurvatus sum*: & Ambrosius incurvationem, humiliationemque accipit ad orandum, eo modo, quo diximus ver. 7. ex Isaia, de inflexa in circuli morem cervice, quia *oratio se humiliantis nubes penetrat* o, & clementorum alta transcendit, ut Christo appropinquet. Paludanus, tropologice *afflictionem*, ait esse satisfactionem, rugitum, confessionem, gemitum cordis, contritionem. Hugo Card. graves ærumnas peccati, utilitatem, insatiabilitatem. Pepinus, afflictum se nimis, & humiliatum affirmare potuisse Christum, & nunc posse contritum, criminosum, damnatum.

i Luc. 22. 15.
k Mat. 5. 14.
l Mat. 26 56
m 5. de fide. c. 3.
n ep. 3. c. 20.
o Eccl. 35. 21.

Et humiliatus sum nimis.) Hieronymus, *& afflictus sum nimis*. Augustinus, *usque nimis*. Cassiodorus, Innocentius Psalterium Romanum, & Gregorius non hic, sed in Homiliis *p*, *usquequaque*, ἕως σφόδρα, *usque valdè*, עד-משר *meod hhad*, quod vers. 7. qui fere est idem quum isto reddebat Interpres, *usque in finem*, ibique docuimus, *usque in finem*, valere *valde*, vehementer prorsus, omnino, &c. Idem, crebro usurpat vocem *nimis*, in eo sensu, ut quum Dei testimonia *credibilia facta* dicuntur *nimis* q, *nimis honorificati amici* ejus; & *nimis confortatus principatus eorum* r: ipse *magnus Dominus, & laudabilis nimis* s: *nimis profundæ cogitationes* ipsius *t*: *nimis exaltatus super omnes Deos* u: iterumq; ac iterum in aliis Psalmis *x* *humiliatum se nimis* David appellat. Sunt, & aliis in libris sacris exempla; in Evang. autem Marci *y*, *vestimenta splendida nimis* dicuntur Latine, quæ Græcè λευκὰ λίαν, *alba valde*. *Nimie* Plautus *z* dixit pro valde,

nam nulli mortali scio
Obtigisse hoc, nisi duobus, tibi, & Phaoni Lesbio,
Tam nimie, ut amarentur.

Humiliandi verba ante etiam annotavi quadrare in contaminatos luxuria, quod peccatum David plangit, ea frequens notio in vetere testamento *a*, in quo propterea *humiliatus* b fractum calamitate denotat. Nihil vilius scorto, cujus *pretium vix est unius panis* c. Si de humilitatis virtute sermo fit, humiliati nec satis quisquam potest; Christus solus quia se ipsum humiliavit *d*, nullam in se humiliationis caussam habens; sicut omnis creatura habet, *humiliatus est nimis*.

Rugiebam à gemitu cordis mei.) Alii, *præ fremitu*, tumultu, anxietate, turbatione: est נהמה *nahamah*, à נהם *naham*, *rugitus*: ab המה *hamah*, esset *sonitus*, strepitus, fremitus, tumultus. Ab ista radice non extat tale nomen significatio utriusq; non dissimilis. *Rugire* proprium est leonum, quod שאג *schaag*, significat, & ὠρύειν aliquando sed metaphorice aliorum quoque animalium voci hæc tribuuntur *e*, etiam hominis, immò, & Dei *f*. Simile quid aliàs ostendi de verbo *mugiendi*, quod Græcè est etiam ὠρύθεας, Psal. XXXI. *h* *Inveteraverunt*, ait, *ossa mea dum clamarem tota die*, propriè, *in rugitu meo*, ut ibidem docuimus. Basilius, ac Euthymius Aquilam hoc loco notant pro ὠρυόμην ἀπὸ στεναγμοῦ, legisse ἐβρυχόμην ἀπὸ βρυγμοῦ, *fremebam à fremitu*. Notus autem Hebraismus ut (a) Heb מן *min*, comparative, aut causaliter accipiatur, ut *genua infirmata à jejunio* i, idest, propter jejunium: *justificatus ab illo*,* hoc est, plusquam ille: *mirabilis facta est scientia tua ex me* K, idest, supra vires meas. Rugit Leo, aut propter famem, vel morbo pressus, ac dolere, vel ira, rabieque concitatus: qua de re, & Psal. XXI. *l*, & priore Petri epistola *m*. Gemituum suorum Job *n* magnitudinem simili expressit dicendi forma: *Antequam comedam suspiro*; &, *tamquam inundantes aquæ rugitus me*. Item Isaias *o*: *rugiemus quasi Ursi omnes, & quasi columbæ mediantes gememus: expectavimus judicium, & non est; salutem & elongata est à nobis*. Cyrillus Isajam declarat de pœnitentia, licèt aliter alii. Sunt qui, velint *p* à Davide indicari eximiam famem recuperandę per peccatum amissę gratię, hocq; sequentia etiam verba innuere. *Domine ante te omne desiderium meum*, &c. Id indicant Origenes, Athanasius, Didymus, & alii.

Origenes porrò hinc infert oportere criminibus detentum, isto exemplo, non segnem habere animum, sed mœrore plenam mentem, ac tantum non ebriam, corque præ doloris magnitudine afflictum, & profundus gemitus trahere, & ex intimis cordis penetralibus graves, ac inexplicabiles sonos emittere. Colligit hinc idem argumentum Cæsarius Arelatensis *q*, & Emissenus *r*, qui valde rem exaggerant. Augustinus, gementem damna temporalia, docet à gemitu carnis rugire: servum Dei ex recordatione sabbati (quod est in Psalmi titulo) ubi est regnum Dei, quod *caro, & sanguis non possidebunt* s.

Am-

p Hom. 31. in Evang.
Nimis vocis usurpatio.
q Ps. 92. 5. r Ps. 138. 1. s Ps. 47. 2. Ps 95. 4. Ps. 144. 3. t Ps. 91. 6. u Ps. 96. 9. x Ps. 115. 10. Ps. 141. 7. y c. 9. 3. z in Milite.
Humiliandi verbi usurpatio.
a Deu. 21. 14. c. 22. 24. 29. Iud. 19. 24. b Ezech. 22. 1. Iud. c. 3. 30 c. 4. 23. Ruth 1. 21. Malach. 35. c Prov 6. 26. d Phil. 2. 8.
e Iob. 39. 6. f Ioel. 1. 21. Amos 1. 2. g Sap. 17. 18 h ver. 3.
Voculæ (a) acceptio. i Ps. 108. 24. * Luc. 18. 14 K Ps. 138 6.
l vers. 14. m c. 5. 8. n c. 3. 24. o c. 59. 11.
p Turria 4. de dog. char.
Ab Origene collecta ex hoc loco doctrina.
q Hom. 1. in Quadra. r Hom. 10.
s 1. Cor. 15. 50.

Ambrosius in rugitu observat gemitum sine verbis, & A præclaram orationem, in qua *interpellat pro nobis. Spiritus gemitibus in enarrabilibus* a. Lacrymarum profusio, gemitusque, ac tristitia valent ad eluenda peccata non medentur aliis malis, & morbis, quemadmodum nec oculorum medicamentum stomacho, manibus, aliisve membris prodest, ut Chrysostomus *b* docet, comparans propterea *c* hujusmodi lacrymas cum amaris radicibus, ex quibus jucundissimi existunt fructus. Christus *ingemuit suspiciens in cœlum*, priusquam curaret Dæmoniacum *d*, peccatoris typum, *& spiritu*, quum reprehendere vellet quærentes ab eo signum *e*. Videlicet, ut Hieron. *f* annotat, nos gemere docuit, & in cœlum thesaurum cordis nostri erigere: quod per gemitum compunctionis intimæ frivola lætitia carnis purgatur. Tum ad hoc locum præsentem profert. Eodem spectant ejusdem Christi lacrymæ super Lazarum *g*, & Jerusalem *h*, deniq; super omnes in Cruce *i*. Hortatur auctor Ecclesiastici *k*, ut humiliemus *valde spiritum* nostrum, *quoniam vindicta carnis impii, ignis, & vermis*. Tales lacrymas non respuit Deus; etsi meliores, quibus offensam ejus secundum se quis amarè flet cum Petro *l*, vel B absentiam, cum Davide nostro, quum ei quotidie dicitur *ubi est Deus tuus* m? quem quoque David Deum à se offensum considerans, nec ejus legem custodivisse, *exitus aquarum* deducebat *ex oculis* n, *laborabat in gemitu suo, lavabatque per singulas noctes lectum suum, lacrymis stratum rigabat*, ut pridem vidimus Psalmo VI. *o*.

Domine ante te omne desiderium meum.) Simplex sensus, notum Deo desiderium esse, quod aliis verbis sequentibus dicitur *gemitum non esse ab eo absconditum*. Est tamen etiam verum, quod suum desiderium, spemque à Deo pendere uno significet; quod unum desideret Deum, sicque orat sine intermissione, ut ait Augustinus: quod tale sit desiderium: ut Dei conspectu non sit indignum, sicut antea erat quum peccaret, & improbaretur à Deo, atque ita non cognoscebatur; utpote non jam ἐπιθυμία mala, sed refrenata concupiscentia: ut alii Patres indicant, maximè in Homilia Basilius, & Cassiod. quasi dicat, inquit Theodoretus, & Basilius in scholiis, quoniam cupiditate mea semel abusus sum, semper illam tuis mandatis addicam. *Desiderium, & præparationem cordis pauperum exaudit Deus* p. Idcircò rursus alibi *q Deus*, inquit, *vitam meam annunciavi tibi: posuisti lacry-* C *mas meas in conspectu tuo*. Deus ipse respondit lacrymis, gemitibusque Ezechiæ *r*, *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas*. Deo sufficit hæc tacita desiderii veniæ declaratio, & intimi gemitus; sed ut pareatur præcepto ejusdem in Ecclesia, de aperiendis externa confessione peccatis. Rectè, inquit Augustinus *f*, constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ, præsunt, tempora pœnitentiæ; (publicæ quidem, sed etiam privatę) ut fiat satis Ecclesię, in qua remittuntur in ipsa peccata, non extra illam. *Desiderium omne* idem potest esse, quod totum, ac ex toto corde, non divisum, sed integrum, ut ait Gregorius, sæpè namque pro toto *omne* dicitur, hocque vicissim pro illo. Et hoc est illud desiderium venię, atquę salutis, quod inter alia effecta pœnitentiæ secundum Deum numerat Apostolus *t*, Græcè ἐπιπόθησις. Nomen Jesu, & memoriale illius debet esse *in desiderio animæ* u, quia ipse est *desideratus cunctis gentibus* x, & *desiderium collium æternorum* y: gestari debent in mentis oculis, ac in volun- D tate *desideria ornata* z, idest, ea quæ nos ornare, & cohonestare valeant, qualis virtus, & auctor ejus Deus, cujus vetus sacerdos nomen gerebant in mitra.

Gemitus meus à te non est absconditus.) Vehementis index desiderii gemitus est: omne desiderium viro justo in pœnam vertitur in hac peregrinatione, si non citò evenerit, quod optatur. Cupiditati ipsa celeritas tarda est, & cupienti animo nihil satis festinatur, ut ait Greg. Quum desiderio gemitus insolubili societate conjungitur, quia non solùm dilatio cœlestium bonorum, quæ desiderantur, affligit, sed præsentis vitæ mala, quæ necessario sustinenda sunt. Quidni moveat mihi, ait, usurpans hunc locum Bernardus *a*, crebras lacrymas, & gemitus quotidianos Christi absentia? &c. non solùm autem mihi, sed, & omnibus, qui diligunt adventum tuum, gemitus isti comperti sunt: ingemiscit. n. & parturit creatura usq; adhuc, & nos ipsi *intra nos gemimus* b, donec *propter gemitum pauperum exurgat Dominus* c. Hoc mortali sensu, Innocentius appellat *irriguum duplex*, superius, inferiusq; de quo libet Josue *d*: Tradiderunt eam prior tropologiam Gregorius in Dialogis *e* de compunctionis speciebus differens, dicensque fieri tum æterna mala, quæ timentur. Tum æternorum absentiam, quæ concupiscuntur. *Desiderium peccatorum peribit* f. lacrymę Esau *g*, & Antiochi *h* non erant absconditæ Deo, sed non exaudiebantur, quia qui fundebant eas, ficti, simulati, tecti erant, ita ut non poneret illas *in conspectu* suo Deus *i*, quia nec illas ipsi dignas reddebant conspectu ejus, pleni desideriis nocivis, & inutilibus, mergentibus animam in interitum, & perditionem *k*, ambulantes *in desideriis* suis *l*, *post concupiscentias* suas euntes *m*, non abstinentes *à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* n, sed carnis curam facientes in illis *o*. Deniq; *desiderium justorum omne bonum est; præstolatio impiorum furor* p, illud *replet Deus in bonis* q: furibundum peccatorum desiderium peribit, ut dixi, quantumvis gementes, & rugientes bonum videantur habere in inferno magno solatio est scire desiderium, ac gemitum tuum à Deo cerni: sic Job *r* dicebat. *Oculi tui in me, & non subsistam*, idest, B non curo mortem, dummodo tuis ego sim oculis præsens, gratusq; & Simon viso Christo petiit dimitti *f*. Qui tangit justum, *tangit pupillam oculi* Dei *t*. Et verò videri potest David solari nunc seipsum hac ratione. Augustinus in soliloquiis *u*, considerans, quòd hic, aliisq; locis, quos citat, dicitur ante Deum esse omne desiderium, gemitum, cogitationem, omnia nostra, dicit Deo ipsi se timore pariter, & ingenti rubore confundi, quoniam nobis magna est indita necessitas justè, recteq; vivendi, quia omnia facimus ante oculos judicis omnia cernentis. Gignit eadem consideratio singularem reverentiam, devotionem, amorem, fiduciam. Chrysostomus *x* utitur eodem loco, ut persuadeat dicussionem conscientiæ in DEI conspectu.

Cor meum conturbatum est.) Hieron. *fluctuabat*. Alia Psalteria, & Greg. Cassiod. Innocentius, addunt *in me*. Alii ex Hebræo *circuit*, circumcursat, circumvagatur, circumlustat, circumfertur, vertitur in gyrum palpitat, rotatur, revolvitur, vacillat, nutat, consternatur, nimirum præ magno metu, ac mœrore, unde anxiæ, curæ, & sollicitudines, incerta dubiaque consilia. Hebræi, teste Treveto, exponunt de cordis agitatione, quem medici C *Saltum vocant*, quemq; David revera passus sit præ ingenti dolore, ac tristitia. Greci, παλμὸν καρδίας nominant. immoderatam concussionem cum diastole, ac systole molesta. Tanta verò interdum est, ut vicinas thoracis effringat costas, & eas, quæ sunt supra mammam sede propria dimoveat, arteriam foras dilatet, efficit hunc morbum præsertim melancholia. Lege Fernelium *y* de partium morbis, & symptom. Undique sollicitudinibus angustor, ut exponit Greg. undiq; angustiis premor, undique pressuris deijcior. Haud absimiles in Ps. CXLII. *z* querimoniæ; *anxiatus est super me spiritus meus*, ἀκηδίασεν, *redactus ad acediam, tædium passus est*: & secundùm aliam editionem περιέστρεφεν ἐπʼ ἐμὲ ἡ ψυχή μου, *circum volvit se super me anima mea: in me turbatum est cor meum*. Ubi Hieron. *in medio mei sollicitum fuit cor meum*. In Ps. CVIII. *a cor meum conturbatum est intra me, sicut umbra, quum declinat, ablatus sum*, eo loco Hier. *cor meum vulneratum est intrinsecus*. Alii, *profanatum est*, quasi vagando com- D mune factum. Hebr. verbum hujus præsentis loci est נחרחר *sechachar*. Chaldæum צמרמר *tsemarmar*, significat *horruit*. Turpis voluptatis Cyrillus hunc docet effectum, ut cor exagitet, paceque privet, quæ exuperat *omnem sensum* b. Idoneus testis filius Ammon post incestum sororis *c*, & adeò multi furiosè amantes, quos celebrant profanorum scripta. Alii *d*, ancipitem animum an peccet; ita ut dum peccat, derelicta censeatur virtus: quando contrahit usum peccandi, lumen amisisse oculorum. Ad id aptè Isaiæ *e* locus affertur nostro similis; *Turbatus sum quum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me*.

Exempla quoque in peccato primorum parentum, & in Samsone ab uxore decepto commodè congruunt, Conscientiæ turbationem Euthymius. Nicephorusque interpretatur. Dicta Psalmo VI. nonnulla, ubi crebra turbationis mentio, & in c. 17. Sapientiæ. Saulus objicitur nunc mihi dejectus, tremens, ac stupens, apertis oculis nihil videns, alienis manib. tractus, de quo egimus in Apostolicæ historiæ commentario *f*. Intuere præterea infœ-

a Rom. 8. 26. b Hom. 5. ad pop. c Hom. 18. ad pop. d Marc. 7. 34. e cap. 8. 12. f in cap. 7. Mar. g Joa. 11. 35. h Luc. 19. 41. i Heb. 5. 7. k cap. 7. 19. l Matt. 26. 75. m Ps. 41. 4. n Ps. 118. 136. o vers. 7. p Ps. 10. 18. q Ps. 55. 9. r Isa. 38. 5. f Euch. c. 65. t 2. Cor. 7. 11. u Is. 26. 8. x Agg. 2. 8. y Gen. 49. 26. z Eccl. 4. L. 14. Cupiditati ipsa celeritas tarda est. a Ser. 59. in Cant. b Rom. 8. 23. c Ps. 11. 6.

d c. 15. 16. e l. 3. c. 33. f Ps. 111. 10. g Heb. 12. 17. h 2. Mach. 9. 13. i Ps. 55. 9. k 1. Tim. 6. 9. l 1. Pet. 4. 3. m Eccl. 18. 30. n 1. Pet. 2. 11. o Rom. 13. 14. p Pr. 11. 23. q Ps. 102. 5. r c. 7. 8. f Luc. 2. 29. t Zach. 2. 8. u c. 14. x hom. 11. ex variis in Matth. y l. 5. c. ult. z vers. 4. a vers. 22. b Phil. 4. 7. c 2. Reg. 13. d Philiph. Grevens. e c. 21. 4. f Actuum 9. 8.

infelicem illum a diabolo missum frequenter nunc in A ignem, nunc in aquam, ut eum perderet *a*. Non potest quin vehementer turbetur qui gratiæ jacturam divinæ considerat, quum avertit faciem Deus *b*: *tormenta iniquitatis*, & offensæ Dei *c*: infernis pœnas *d*, cunctosq; terrores Dei *e*: nequitiam diaboli, & tribulationem *f*, quàm perpetuò machinatur. formidinem mortis *g*, severitatem vocis Christi judicis *h*: De is Pepinus plura. Magnus primos invasit parentes timor à Dei voce, & levi ambulatione *i*: corruit quoque Cain post fratricidium huc illuc *profugus ad Orientalem plagam Eden* *, Hebraicè בארץ נוד *beerets nod*, vel, ut Græci exprimunt, ναίδ, aut ναὶδ, ut admonet Hieronymus *k*, significare non *terram σαλευομένην, flutuantem*, instabilem, sedis incertæ, à verbo quod est in præsenti loco Psalm. est סוחר *socher, negotiator*, & mercator qui regiones circuit, & ad peregrinos comeat, multa undiq; importans. Tale peccatoris cor non adhærentis *l* Deo, turbati plurima, quum *unum* solum sit *necessarium* m.

Cajetanus Absalonem degnari corde credit, qui motu præternaturali, contraque naturæ jus, circuerit contra patrem: virtute, robur exercitus qui Absalonem se- B quebatur: lumine oculorum, Achitophel, cujus consilium quasi si quis consideret Deum, quando erat cum David *n*. At sensum literaliorem jam posui. Tropologicè assumi potest turbatio nauseantis, aut ejus qui potionem sumpsit; confert enim ad valetudinem, si nempè turbatur quis propter peccata. Rectè Augustinus: *Ecce turbat te mundus, & amatur; quid si tranquillus esset, quomodo inhæreres*? Ad hunc modum turbatus à Deo dicere potest illi *o*. *Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est*.

Dereliquit me virtus mea.) Hieronymus, & Ambrosius *fortitudo* כח *choach*, ἰσχὺς Augustinus, Innocentius Psalterium Romanum, *deservit me fortitudo mea*. Non est virtus hæc mortalis sed robur, visque, μελῶν δʼ ἀριχάζετο καὶ κνῦς, inquit Appollinarius. *Membrorum verò recessit vis*. Hebręi deliquium, cessationem, defectum sensuum intelligunt, qui ex dicto symptomate conturbati cordis sequitur. Certè ad litteram denotat infirmitatem; sed ad animum transferri potest, quum rebus deiicitur adversis, angoribus debilitatur: & Patres commode satis intelligunt de viribus per peccatum ademptis, quas Gratia, vel in Innocentiæ statu suppe- C ditabat, vel nunc etiam in justificatione communicat. Sed, & quo pacto dirum cernens vulnus suum exanimatur, & animo deficit; ita qui animum advertit ad lethalia ulcera peccatorum, contabescit dolere. Ad eumdem in Psal. XXXIX. modum post recensita, dixit David *p*; *Et cor meum dereliquit me*. Redundat procul dubio in corpus imbecillitas animi, qui quum alacer est, magnusque corpus quodammodo sustentat etiam imbecillum, *spiritus viri*, ait sapiens *q*, *sustentat imbecilliitatem suam: spiritum* verò *ad transcendendum facilem* (Hebr. *spiritum contritum*, vel *infirmum*,) *quis poterit sustinere?* Nam, ut ait ille *r*.

Bonus animus in re mala dimidium est mali,
Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum:

Sic Spiritum sanctum scribit Paulus *f* juvare imbecillitatem nostram. Excordes improbi sunt, eosque ut dixi; dereliquit non virtus tantum, sed quodammodo cor; ut idcircò redire jubeamur ad cor *t*; caussaq; cur hoc, & illa derelinquant illos, est, quia *lumen oculorum non est in* D illis, ut verbis dicitur sequentibus, oculos mentis accipiendo. Idem David *invenisse se cor suum* dixit, ut oraret. Deum *u*, videlicet quum de Deo non cogitat, vel de his, quæ ad eum spectant, dissipatum, & amissum videri potest cor: aut certè, quando minores fiducia in Deum vires habet, minusq; de illo fidit; in quo sensu David eo loco loquitur, significans quantam ob priora beneficia sentiret in corde fiduciam. Cor nostrum nos derelinquit, inquit Greg. *x*, quando sic à concupiscentiis carnalibus vincimur, ut intentionem cordis, in terrenis, & carnalibus, atque corporeis, & non in cęlestibus & spiritualibus ponimus: & cor nostrum invenimus (quod antea retuli Davidem dixisse) quando per intentionem cordis spiritualia quærimus, quando hæc terrenis avellimus, ut ad cœlestia dirigamus. Vires animi confirmantur, & stabiliter cor gratia, quod Paulus *y* factu optimum scribit, quam conferunt sacramenta cetera, tum nominatim, quod confirmationis appellatur.

a Marci 9. 21. b Ps. 29. 8. c Ps. 17. 5. d Isa. 14. 15. Ps. 17. 6. e Ps. 87. 17. f Ps. 54. 4. g Ps. 57. 5. h Abac. 3. 1. i Gen. 3. 8. * c. 4. 16. k quæst. Heb. l Ps. 72. 28. m Luc. 10. 41. n 2. Reg. c. 17. 23. o Ps. 59. 4. p vers. 13. q Pr. 18. 14. r Plaut. in Rud. f Rom. 8. 26. t Isa. 46. 8. u 2. Reg. 7. 27. Cor nostrũ quando nos derelinquit x l. 1. in c. 9. 1. Regum. y Heb. 13. 9.

Turbatio timoris resolvit vires, & obstruit oculis lumen consilii. Propterea Christus præcipit suis ne timerent *z*, & ne turbaretur cor eorum *a*: *Ubi thesaurus ibi cor* b: & quia regnum Dei intra nos est *c*, nec sedes cordis alium capere, quàm Deum debet, hoc si non facit, in nobis non est, Præberi cor Deus vult sibi *d*, tamquam Cameram Omnipotentis Regis, ut piè ludunt aliqui in elementis tribus *cor*, Latina vox constat. Agnoscamus oportet debilitatem, & vitiatam per peccatum naturam, atq; pęnitenti non implorandam solùm veniam, sed instaurationem quoque virium perditarum, ut clamet ad medicum: *Ego e dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, qui peccavi tibi*, quod urget Augustinus *f* ad hoc propositum. In justo *spiritus promptus est*, & robustus, *caro infirma* g: in peccatore caro invalescit, anima infirma est, & debilis, ut in homilia notat Basilius.

Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.) Eodem pacto Hieronymus: nisi quòd *lucis* voce utitur pro luminis. Sed ex Hebræo propriè sic reddendum esset, *etiam ipsi*, nempè oculi, *non sunt mecum*: ita ut repe- B tatur verbum, *dereliqui: derelinquit me virtus mea*, &, *dereliquit me lumen oculorum meorum, etiam ipsi non sunt mecum* גם הם *gam hem*. Psalteria alia, Ambrosius, Augustinus, Cassiodorus, Innocentius, non habent, & *ipsum*, & Ethymius particulam, & superfluam censet. Has Gregorius tamen dictiones negat vocare, sed significare ipsum lumen, sine quo cor humanum in tenebris est, sine quo vivere David se non posse affirmet, sine quo bonum à malo discernere non queat. Major quidem emphasis, ut dicantur ipsi oculi abesse: attamen LXX. & Hieronymus pro הם *hem* legerunt תאי *hu*. Hebræi exponunt, vi morbi, & ejus, de quo antè dixi symptomatis cordis, usum aliorum sensuum, verò visus amissum esse: ut languerent *oculi præ inopia* h, videlicet spirituum animalium exhaustorum. Theodoretus, Basilius in scholiis, Euthymius, Nicephorus, præ mœrore fletu de peccatis, oculos caligavisse.

Mœsta nec assiduo tabescant lumina fletu,
Tristi nec cessent imbre madere genæ i.

Addunt præterea postremi duo, & Basilius in homilia, & Eusebius in Comentario, Spiritum sanctum magna ex parte evolavisse à Davide ob scelera; hoc est, donum C prophetiæ: gratia enim sanctificans tota semper abit: Priores autem, destitutionem providentiæ divinæ peculiaris circa illud: Ambrosius, Christum lumen omnes *illuminas* k: sicut, & *fortitudo* est cunctorum *l*, quam se prius dixit deseruisse: ceteri, errorem, ac ignorantiam peccati defectum, ita ut apertis oculi carnis ad cernendam turpidinem, unde erubescerent, clausos habuerint primi parentes mentis oculos, quos aperiendos, vafer tentator mentitus fuerat; & idcircò etiam refugientes lumen, qui est Deus, absconderent se inter ligna paradisi *m*, nunc justificatis communicari lumen fidei, donec ostendat Deus seipsum, & in ipsomet lumen ipsum clarè videamus *n*. Hoc fermè, modo etiam Augustinus, & Augustinianę studiosi Doctrinæ, & Ambros. quum Christo jungit spiritum sanctum, qui absint à peccatore. Illud est justitię lumen, quod sibi non illuxisse impii serò conqueruntur, ut aliàs ostendimus in libro Sapientię *o*; quoniam *excæcavit eos malitia eorum* p, & *oculos suos statuerunt declinare in terram* q, *ut non viderent cęlum*: *neque* D *recordarentur justorum judiciorum* Dei *r*. Diabolus eruit eis oculos, quum ei consenserunt, sicut pacisci volebat Naas cum habitatoribus Jabes *f*, re ipsa verò fecerunt Samsoni Philistæi *t*, & Sedeciæ Regi Rex Babylonis *u*: sed, & caro, sicut stercora Tob. *x*, oculis privavit: denique *ambulant, ut cæci qui Domino peccant*, y *erant cæci in plateis, polluti sanguine* z. De Samsone vaticinium illud, *fiat* a *Dan*, &c. *cerastes in semita mordebit ungulas equi*, &c. interpretantur multi, quia ex ea tribuerat. Cerastem porrò ferunt in cornibus oculos, ut & limacem, gestare; amissa virtute, roboreque, quod in capillis erat, adempti sunt ei postea oculi: sic David postquam dixit, *dereliquit me virtus mea*; subjecit: *lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. Confert ad recuperandos oculos impositum lutum *b*; quod Theophyl. *c* teste, quidam, quibus Lyranus assentiri videtur, in organa intra cavites oculorum cęci nati conversum putant, nempè luteæ naturæ nostræ, & vilissimæ conditionis peccati, potissimùm carnalis consideratio. Ambrosius *d* ait, Chri-

z Luc. 12. 32. c. 24. 36. a Joa. 14. 27. b Mat. 6. 20. c Luc. 17. 21. d Pr. 23. 26. Ad elementa tria vocis cor, lusus prius. e Ps. 40. 5. f de natu. & grat. c. 19. g Matt. 26. 41. h Ps. 87. 10. i Ex Catullo ad Manlium. k Joa. 1. 9. l Isa. 12. 2. m Gen. 3. 9. n Ps. 35. 10. o c. 5. 6. p c. 2. 21. q Ps. 16. 11. r Dan. 13. 9. f 1. Reg. 11. 2. t Jud. 16. 21. u 4. R. 25. 7. x Tob. 2. 11. y Soph. 1. 17. z Thr. 4. 14. a Gen. 49. 17. b Joan. 9. 6. c Ibid. d Epist. 75. vet. edit.

Christi significasse se intius luminis esse plenum, quando ejus saliva ab interioribus proveniens partibus, illuminaret cœcos. Beatus qui est *vir videns paupertatem suam*, salutem *in virga indignationis* divinæ *a*, ne cęcus ad hoc, divitem se ac locupletem æstimet, nullius egentem; quum sit miser, & miserabilis, & pauper, & inops *b*.

a Thren. 3. 1
b cap. 17.

De Christo ipso Chrysostomus locum istum explicat, ut eum carissimi sui deseruerunt in passione, quemadmodum, & sequentes versus. Alii, quòd præ tristitia, inedia, lacrymis, sanguine in oculos ex spinarum capiti infixarum vulneribus defluente, videndi penè usum amiserit; ita licuerit ei usurpare illud Jeremiam *c*, *oculus meus afflictus est*: præterea vera Job *d*, *facies mea intumuit, & palpebræ meæ caligaverunt*. Impedimenta cernendi oculis corporis, & spiritualibus, Bernardus *e* docet tria esse, si lux desit: si oculi quolibet humore concreto turbati; si pulveris injectione læsi: humoris noxii locum tenere in animo peccatorum memoriam; pulveris, curam terrenorum; tenebrarum, peccata ipsa: remedia esse confessionem, orationem, quietem.

c Thr. 3. 49.
d c. 16. 17.
e Ser. 5. de assump. B.V.
Tria oculis corporeis, & spiritualib. cernendi impedimento.

Ceterum quum *lumen* hic *oculorum*, & aliis Scripturæ *f*, locis, nec non apud profanos auctores auditur, videtur, videtur opinioni favere Platonis *g*, Empedoclis, Galeni *h* Aphrodisæi *i*, Ptolomæi *k*, Senecæ *l*, Lactantii *m*, Alchindi *n*, Chalcidii *o*, Euclidis *p*, aliorum, intra oculos lumen contineri, & ejus radiorum emissione visionem effici, quasi lumen id exiens unà cum externo lumine, quod est in medio objectum apprehendat, atque visibile reddat. Rationes collegit Macrobius *q*, Gellius *r*, Plotinus *s*, Alcinous *t*, Nemezius *u*, Priscianus Lydus *x* & de recentioribus Theophilus Zimara *y*, Jacobus Carpentarius *z*, Gabriel Buratellus *a*, & de nostris Toletus; atq; Conimbricenses in disputationibus de hac re, nosq; quum in illis versaremur.

Ubi meritò Peripateticos contra sentientes sectati sumus, quia, ut cetera omittam argumenta, quis credat à tantula pupilla luminis exire tantum, ut longissimè procedat ad astra usq; ac inde retroflectatur, quum radii solis ad hinc ad mediam aeris regionem numquam resiliant? Concedi tamen nonnihil potest lucis in oculis, quę delatas per externum lumen species recipiat: cujus, & index est motis oculis emicans splendores. Quędam etiam foras lumen ex oculis animalia ejaculantur, ut feles, quidamque homines ut meminit Eustachius *b*, quod Jon Chius de Hercule prudidit, non ideò tamen, ut extra mittendo cernant. Lege Scaligerum *c*, Itaq; *lumen oculorum* dicitur, oculiq; ipsi *lumina*, tum quia politi, ac leves oculi: tum quia pellucidi, ac transparente: tum quia feruntur in lumen, & in illuminata: tum quia maximè vitalis, & vividus visus sensus, cum vitæ *lucis* nomen tribuatur, & *lumine cassi* vocentur mortui, & *lucem relinquere*, sit mori: tum quia oculorum splendor ingenni solertissimi acumen præfert, quasi emicante inde lumine intellectus.

f Tob. 10. 4. c. 14. 3. Bar. 3. 14.
g in Timæo.
h 7. de Plac. Hipp. & Plat. l. 10. de usu par. l. 1. prognost. sent. 19
i 1. Prob 9. 75
k in caroper.
l 1. Nat. quæst.
m de opif. D. l. c. 8.
n l. de aspectibus
o in Timæu.
p l. de persp.
q l. 7. c. 14.
r l. 5. c. 16.
s l. de visione
t d. Doctr. Platon.
u de nat. hom. c. 7.
x de phant.
y in 2. de anima c. 79.
z in Alcinoum c. 15.
a 5. conf. fol. 150.
b Iliad 8.
c Exerc. 198 n 16.

Vers. 12.) Amici mei; & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.
Et qui juxta me erant, de longe steterunt.
Vers. 13.) Et vim faciebant, qui quærebant animam meam,
Et qui iniquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

NArrat nunc quot à carnalibus amicis molestias passus sit; quod transferri ad illas potest, quas iidem pęnitent; faciunt, ut à pęnitendi sollicitudine, & asperitate seducant ad securitatem, molliorisque pęnitentiæ facilitatem. Innocentius, Didymus, & Cyril. exponunt, socios in peccando, inimicos evadere, si quis resipiscat. Origenes, hunc, tales reprehensores pœnitentiæ contemnere. Addit, Angelos tutelares, Basilius in homilia, mœstos recedere, licèt non penitus, ex ea occasione maligna, spiritus imbecilliorem etiam, & quodammodo cæcum adortos esse. Arnobii eadem de Angelis sententia nec non Bernardi *d*. Ambrosius item hoc loco, sed qui urgetur tentationibus existimare longè abesse quos proprius sibi adesse desiderat, & arbitrari dissimulare, quum illi juvandi tempus nutu sui Imperatoris expectent, qui athletam suum, quo gloriosius vincat, diutius certare præcipit. In litterali sensu lamentatur veteres amico, & familiares longiùs recessisse ab initio, ac veluti è regione stetisse, nullum volentes, audentesve calamitatibus ipsius auxilium, aut solatium ferre: propterea in se desertum, atq; destitutum tum inimicos conantes eripere vitam, impetu majore irruisse: & quum minus malis factis possent, calumnias commentos esse, insidiaque assiduè excogitavisse, quibus improvidum caperent, ac perderent.

d Ser. 1. de S. Mich.

Clara hujus rei exempla in Absalone filio, in Amasa nepote, in Achitophel consiliario Dav. qui istum secuti sensum, afferunt, Basilius in scholiis, Theodor, Euthym. Nicephorus Athanas. & in Genes. Chrysost. *e* Secundùm allegoriam valdè multi hæc accipiunt de Judæis, Christum, & ante passionem per speciem amicitiæ, cumq; hypocrisi, trahere in fraudem conatis, tum præsertim in passione de iisdem partim ferociter, partim per subornatos accusatores, testesq; accidere tentantibus, & de discipulis, qui, proditum à Juda reliquerunt, & eo relicto omnes fugerunt, ex quib. qui dignitate proprior, etiam negavit. Cum Latinis, ita Chryst. explicat Homilia in hunc Psalmum, & in alia de passione *f*, & in Commentario Apollinarius, atq; Cyrillus Alexandr. *g*, & Jerosol. *h* & Judæos quidem omnes ille *amicos* vocari docet, non qui Jesum amarent, sed quos ille tamquam pastor, qui venerat ad *oves, quæ perierunt domus Israel* *i*; *propinquos*, propter cognationem ex carne. Cypr. aut Ruffinus in symbolum prædictionem, ait hic esse de proditione Judæ. Idem habet Cyrillus, Jerosol. *k*: Justinus *l*, de omnibus eum deserentibus discipulis. Ante passionem sæpenumero Christus tentatus est, ut caperetur *in sermonem* *m*: *fratres*, idest, propinqui, affinesq; *non credebant in eum* *n*: sui eum tamquam furiosum tenere volebant *o*: & præcipitare de supercilio montis *p*.

e Hom. 39.
Allegoria.
f hom. de prodit. & myst. cœn. Dom.
g in Caten.
h Cath. 13.
i Matt. 15. 24.
k Cath. 13.
l in Tryph.
m Luc. 20. 20.
n Ioan. 7. 5.
o Marc. 3. 21
p Luc. 4. 29.

Accommodatè Bern. *q* eamdem istam usurpat sententiam in malos Eccles. pastores, & sponsæ amicos fictos: præterea in malos Christianos *r*. Acerrimus dolor, non invenire, qui condoleat, ut suprà vidimus Ps. XXX. *s*, cui similis querela LIV. *t*. LXVIII. *u*. LXXXVII. *x*, præterea apud Isaiam *y*, Jerem. *z*, Zach. *a*, Job *b*, quæ pariter testimonia de Christo proferunt Patres citati à nostro A costa *c*. Verba Job propriè ad rem faciunt: judicio etiam Eccles. in officio pass. *fratres* d *meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me derelinquerunt me propinqui mei, et qui me noverunt, obliti sunt mei*, &c. Item *e*, *Abominati sunt me quondam consiliarii mei; & quem maximè diligebam, aversatus est me*. Ambr. exemplum Iob hic urget, disputat; de leni orationem consolandi afflictos, & opportuna: sæpè enim lites de consolationibus excitates. Cassiod. hoc ac Ps. totum, ut dixi, de Iob declarat. *Et tu quoq; fili?* Cæsar amico Bruto vulneranti dixit, & citato LXXXVII. Psal. tum queritur se desertum à suis David, cum præfatus est Deo; *super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me*; quasi illa sit summa calamitas, ac molestissima.

Accommodata sententię usurpatio.
q Ser. 77. in Cant.
r Ser. de conv. Pauli.
s vers. 12.
t vers. 12.
t vers. 14.
u vers. 9.
x vers. 9 19
y v 63. 5.
z Thr. 1. 2.
a c 13. 6.
b c. 6. 13. c. 19. 13. c. 30. 1.
c l. 8. de Christo revel. c. 8.
d c. 19 13.
e vers. 19.

Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquarunt, & steterunt.) Hier. *chari mei, & proximi mei*, aut, ut Trevetus legit, *sodales*, aut, ut Victorius, *amici*, quasi contra lepram meam steterunt. Ex Hebr. sic etiam reddunt alii, uteutes voce *plagæ*, aut *vulneris*, *& quum percuteretur, stetisse illos è regione, ex adverso subduxisse se de corã eo*; idest de conspectu ejus, aversos stetisse, quod morbi illis videretur abominandus, aut contagiosus, ita ut etsi aliquò usq; accederent quasi consolaturi, tamen longè, ac è regione starstnt. Sym. οἱ φίλοι καὶ οἱ ἑταῖροι μου ἐξ ἐναντίας μου ἐξ ἐναντίας τῇ (aliàs) ἐν τῇ πληγῇ μου ἀντέστησαν (aliàs ἔστησαν) *amici mei, & sodales mei ex adverso in plaga mea restituerunt*, vel, *steterunt*. Cajet. interpretatur *plagæ* nomine gravem persecutionem Absalonis, quo tempore, ut fit in repentinis casibus, occurrerint amici non adjuvandum, sed ad mirandum. Rabbini de morbo fœdo lepræ simili quæ vitari solebat *f*, & à Persis horrori tantopere erat, ut prodit Herodotus, & Rhodignus *g*, ut existimaretur Deo ipso puniente contingere. Ex Thucydide Plut. *h*, refert qui maximè virtutem sectabantur, in pestilentia unà cum laborantibus morbo amicis interisse.

f Lev. 13. 14
g lib. 5.
h opusc. de frat. amore.

Ceteri figuratè ista dici volunt de ingenti calamitate, quam crederent etiam inflictam propter peccata, & dignum ea pressum, quem vitarent omnes; quomodo in Taprobane si quid reus deliquisset, cunctis eum eversantibus, mœrore, ac tabe confectus interibat, testibus Plinio *i*, Solino *k*. Legerunt Hebraizantes cum Hieronymo, & paraphrasi Chaldæa (quæ vulnus etiam reddit

In reos supplicis genus
i l. 6. c. 22.
k c. 66.

dit מכתש *machrthas*) נגעי *nighbi*, à נגע *negahh*, *plaga*, percussio, vulnus, lepra, pro נגעו *naghebhu*, quod est verbum significans *tangere*, pervenire, appropinquare, flagellare, percutere. Appropinquare è regione, & stare, ac quod postea subditur de longè stare, non opponuntur, quia, ut dixi, qui accesserant, non sunt longiùs progressi, sed constiterunt, sicut narratur de amicis Job *a*. Exponit Apollinarius coram timuisse, & pedes firmasse, & qui prope venerant de longè recessisse.

Ἄντα φίλοι πεφόβηντο, πόδας δὲ συνήρεισαν ἑταῖροι:
Οἱ καὶ μὲν ἄσσον ἰόντες, ἀπὸ προδιηνοσφίζοντο.

Coram amici timuerunt, pedes verè firmaverunt socii:
Qui verò me propè euntes de longè recesserunt.

a Job 2. 12. 13.

Sectando moralem sensum de carnali amore, propinquis à pœnitentia hominem dissuadentibus, hi appropinquant commiseratione commoti, sed adversum illum, quia revera in damnum illius, & stant, nimis in iniqua illa commiseratione constantes, & instantes. Alius traditur in eodem genere sensus ab aliis, quum in quopiam lumen non est oculorum, ut suasmet res inspiciat, sed alienas, odio aliis esse, ipsosque amicos, familiares, propinquos ab ejus consuetudine abhorrere. Sic Stella *b*, ficta, fallaque amicitia hoc loco satis indicatur, quum vera tempori subjecta non sit, senescat numquam, dura quæque perferat, non vereatur publicum, tum in vita, tum in morte, tum in prosperis, tum in adversis constans; opere demonstret benevolentiam, quæ versatur in corde, loci distantia minimè impediatur. Hæc omnia repræsentat imago mortis, in qua est juvenis, vestem indutus asperam, capite discooperto, cum epigramate, *vita, & mors, hyems, & æstas*; præterea latus habens ad cor usque apertum, in quo vulnus digito demonstret, cum aliis verbis *longè, & propè*. *

b in c. 16. Luc.
* Lilius Gyraldus in Syntagm.

Pro *proximis* Tuccius *c* pastores vertit, quia Hebr. nomen est רעי *rehbai*, cum affixo primæ personæ singularis, sumitque Apostolos, & per amicos intelligit discipulos Christi, & errorem notat in Hieronymi libris, quum ponitur lepra, pro qua sustinuit plagam, quia non legitur Christus, de quo iste Psalmus est, leprosus fuisse. Non ignorat Tuccius æstimatum Christum quasi leprosum, ut Isaias *d* prædixit, *percussusque à Deo*, ubi est hoc verbum Hebræum pro leproso: & Oziæ plaga, quæ lepra erat *e*, dicitur nomine item Hebræo, de quo priùs dixi. Præterea constat רע *reabh*, amicum, sociumve significare multò sæpius, ut nesciam, an etiam pastorem, qui vocatur רועה *robheh*, quæ vox priorem notionem interdum habet. Optassem in docto viro propensiorem tuendæ vulgatæ editionis voluntatem.

c in Cant. annot. Pastr. permiss. 3.
d c. 53. 3.
e 1. Paral. 26. 20. 4. reg. 15. 5.

Et qui juxta me erant de longè steterunt. Hieronymus, *vicini mei*. Dixi quo pacto utrumque esse possit, appropinquare, & de longè stare: nec enim appropinquare adversum se David intelligit contra se oppugnando, sed ex adverso, ex opposito, è regione, ut docui, & Hebræa demonstrant מנגה *minnegheb*; quemadmodum quando dicitur *castellum contra nos* f, significat è regione, ex adverso Græcè οἱ ἔγγιστα dicuntur *proximi* non loco tantùm, sed aliqua necessitate, & affinitatis, cognationis, amicitiæ, ita ut crescere videatur oratio, & propiùs attingant isti, quàm οἱ φίλοι, & οἱ πλησίον, qui Latinè vocati sunt *amici*, & *proximi*. Eamdem vim non habent Hebræa vocabula, ultimum denotat propinquitatem loci, vel temporis. Sed nec simpliciter id valet οἱ ἔγγιστα, sed cum addito τῷ γένει ὄντες, aut ἐγγύτατα, sive ἐγγυτάτω.

f Mat. 21. 2.

Piè Pepinus locum totum tractat de amicis, & propinquis dissuadentibus religionis ingressum: de aliis revocantibus à pœnitentia: de his, qui moribundorum nocent saluti consiliis importunis: de his, qui senes parentes, aut ægros obsident, & in eorum involant beneficia Ecclesiastica: de detractoribus: de malis Christianis: sicque omninò verum esse, quòd *inimici hominis domestici ejus* g. Sed hæc ponunt, adversum aliquem appropinquare idem esse, quod *adversari*, quod jam non ita esse ostendi; tamen locum habere possunt etiam in sensu tradito; indicasse sit satis, quemadmodum, & de Angelis prævaricatoribus Deum dicere posse, *qui juxta me erant, de longè steterunt*; Christum de Judæis: afflictos, de falsis amicis: subditos, de malis pastoribus: Ecclesiam, de pœnitentibus relapsis: Christum rursus de indignè communicantibus.

g Mich. 7. 6.

Et vim faciebant, qui quærebant animam meam.) Hieronym. *irruebant quærentes animam meam*. Alii, *laqueos tetenderunt, aut posuerunt tendiculas, quærentes animam meam*, quod sonant Hebræa cum eleganti allusione ינקשו מבקשי *ienakschu mevakſche*. Eodem verbo utitur Daniel *h*, ubi legimus Latinè, quòd genua Baltazar ad se invicem collidebantur: extat idem in Psal. CVIII. *i*, *scrutatur fœnerator omnem substantiam ejus*; quod Symmachus transfert, συγκροῦσαι, *collidere*. Igitur *vim facere* adversarios, quum destitutus esset ab amicis, eosque, qui quærebant animam, seu vitam, ut auferrent eam, quemadmodum habetur in Ps. XXXIX. *k*, est agmine facto, & certatim quasi sese comprimendo, & collidendo, irruere, (quod Hieronymus verbum expressit,) ut explorarent calamitatem illius, & captarent occidendi occasionem: sic erit *vim pati* regnum celorum βιάζεσθαι, & à *violentis rapi*, qui vocantur βιασταὶ *l*; per quamdam irruptionem, compressionem, collisionem, ut fit quum alter alterum in angustia loci superare nititur, ut penetret. De Dæmonibus summa vi perniciem nostram procurantibus, circumeuntibus ad hoc terram, & perambulantibus *m*, quærentibusque quem devorent, Leonis rugientis in morem *n*, nonnullos hæc interpretari suprà significavi, quando custodes Angeli longiùs videntur abesse, atque quodammodo etiam stricto gladio repugnare, ut seraphim primis hominibus *o*, ut alter angelus ariolo, cujus perversa erat via, illique contraria *p*: Vim Dæmones ita faciunt, ut non violentè assensum eliciant. Sed, & vis eorum adventu Christi plurimùm imminuta est, nec magno negotio fugantur, fugiuntque si eis resistatur fortiter in fide *q*: nec permittit nos Deus tentari *supra id, quod possumus* r, & *mandata ejus gravia non sunt* s. Christo quanta vis facta in passione sit, testis Evangelica historia, quum Discipuli quidem capto eo ad unum omnes fugissent; & noti ejus starent à longè, alii gravissimè, constantissimèque accusarent, & damnationis à judice liberare volente, sententiam clamoribus, ac minis extorquerent.

h c. 5. 6.
i v. 11.
k v. 15.
l Mat. 11. 12
m Job. 1. 7.
n 1. Pet. 5. 8.
o Gen. 3. 25.
p nu. 22. 23.
q Jacob. 4. 7. 1. Pet. 5. 9.
r 1. Cor. 10. 13
s 1. Joan. 5. 3.

Qui quærebant animam meam.) Valde sæpè scripturæ adhibent hanc dicendi formulam, pro eo, quod est quærere vitam alicui auferre *t*, quod aliquando etiam exprimitur, ut antea retuli ex Ps. XXXIX *u*. Sumitur tamen etiam in bonam partem pro eo, quod est liberare, vel defendere, ut in Psalm. CXLI. *x*, *periit fuga à me* (hoc est, ablata effugiendi, ac evadendi spes,) *& non est qui requirat animam meam* (ut me ab hoc periculo mortis liberet) & in c. 29. *y*. Proverbiorum; *viri sanguinum oderunt simplicem*, (insidiando vitæ ipsius) *justi autem quærunt animam ejus* (studendo, ut eam observent.) Ibi est verbum דרש *daras* in posteriore loco idem, quod hic בקש *bikkesch*; & illud quoque ponitur quum dicitur *requiri sanguis*, vel *anima* cujuspiam *z*, scilicet ab interfectore, ut solvat pœnam.

t Exod. 4. 19 1. Reg. 20. 1. c. 22. 13 c. 23 15. c. 29. 29. lib. 2. 4. 8. c. 16. 11. lib. 3. 19. 10. 14. Ps. 39. 15. Ps. 53. 5. Ps. 62. 10. Ps. 69. 3. Ps. 85. 14. Eccl. 51. 5. Jer. 4. 30. c. 11. 21. c. 19. 7. 9. & alib. Matt. 2. 20.
u v. 15.
x v. 5.
y v. 10
z Gen. 9. 5. & apud Ez. sæpe.

Qui inquirebant mala mihi.) Augustinus, *qui quærebant mala mea*, & hoc valet Græcum, οἱ ζητοῦντες, reddit Aquila, κακίαν, vel κακόν μου, *malum meum*.

Locuti sunt vanitates.) Ambrosius, & Augustinus, *vanitatem*. Hieronymus, *insidias*. Alii, *pravitates*, iniqua, perniciosa, scelerata, confractiones, interitus. Hæc omnia valet הוות *hauuoth*, nec non eventus malos, infortunia, calamitates, casus adversos, prava desideria, studiaque, & similia. Vertitur interdum per *iniquitatem* a, *injustitiam* b, *laborem* c, *asperum* d, *pravitatem* e, *contritionem*. Sed *f*, & rursus per *vanum*, ut in Psalmo V. *g*, *cor eorum vanum est*. Vanitates, & pravitates, quod Chaldæus appellat mendacium שקרא *sikra*, & Apollinarius, μαψιδίως λαλεῖν, *frustra loqui*, intelligere possimus ficta, blandaque verba, quæ inquirentes, mala Davidi loquerentur, quum per amicitiæ speciem in calamitate, morbove positum inviserent. Tale, quod Psalmo XL. *h*, scribitur. *Inimici mei dixerunt mala mihi; quando morietur, & peribit nomen ejus? & si ingrediebatur, ut videret* (ut viseret) *vana loquebatur* (frustra, & simulatè) *cor ejus congregavit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum* (detrahens apud alios) *adversum me susurrabant omnes inimici, mei adversum me cogitabãt mala mihi* (quod hoc loco sequitur, & *dolos tota die meditabantur*, nempe musitando, & susurrando) *Verbum iniquum constituerunt adversum me, numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat* (videlicet, omninò non resurget jam jam moriturus.) Falsi prophetæ dissuadentes meliora consilia pietati, falsa, ut ait Jeremias *i*, dicunt, & stulta, non aperientes iniquitatem nostram nobis, ut nos ad pœni-

a Ps. 56. 2. Ps. 93. 25.
b Ps 51. 4.
c Ps. 54. 12.
d Ps. 90. 3.
e Prov. 17. 4
f c. 19. 13.
g v. 50.
h v. 6. 7. 8.
i Thr. 2. 14.

pœnitentiam provocent, videant autem *assumptiones, ejectiones*;

Dolos tota die meditabantur.) Christum capere in sermone voluerunt oblato denario *a*, & adultera *b*, instituta disputatione de Resurrectione *c*, sciscitantes, an esset Christus *d*: confingentes testimonia, & crimina in eum *e*: irridentes in Cruce, invitantesque, ut descenderet, ut crederent *f*: subornantes custodes sepulchri; ut mentirentur furto ablatum *g*; blasphemando multa, ut de mentis constantia dimoverent. *Meditari* paullò antè dixi idem valere quod *susurrare*. Hoc ipsum alibi pluribus probavi de Hebræo verbo הגה *hagah*, & de Græco *μελετᾷν*, quæ hìc extant. Porrò rara res amicus fidelis. Adorant orientem solem plures, quàm occidentem: tunc Absalonem, quàm Davidem, sed præstat fidem fati virtute sequi, quisquis tandem dubiæ futurus fortunæ sit exitus.

a *Mat.* 22.15 b *Joa.* 8.3.4. c *Mat.* 22.24 d *Joa.* 10.24 e *Matt.* 26. & *Luc.* 23. f *Mat.* 27.43 g c.28.13.

Rara res amicus fidelis.

Vers. 14.) Ego autem tamquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum.

Vers. 15.) Et factus sum sicut homo non audiens; & non habens in ore suo redargutiones.

ADversus tot dolos, calumnias, injurias, constantiam suam declarat, ut nec audire videretur, nec loqui posse, vel ad se defendendum, vel ad maledicta vicissim in alios rejiciendum. David quidem, admirabili patientia sustinuit convicia Semei *; at nihil ad Christum, ita ut ejus Præses vehementer miraretur silentium *h* immò, & compateretur, ut ait Cyrillus Jerosolymitanus *i*, præsentem citans locum, de quo silentio Isaias *k* vaticinatus, & scripsit Petrus in Epistolis *l*: sed quod attinet ad Davidem, propterea, ita se gessisse Basilius, ait, quod amicis destitutus, & pudore oppletus, quid responderet non haberet, argutus non redarguens, ab inimicis victus, nullam dicendi libertatem habens. Hoc non impotentiæ, sed patientiæ imputant, & prudentiæ, Origenes, Didymus, Apollinarius, Ambrosius, quia inutilis, ac fatua responsio futura fuisset fatuis, ex quibus nullus sperabatur fructus: vel iræ propriæ indulgere seseq; vindicare, ac in hoc ipso inimicis satisfacere malū: qui hoc agunt, inquit Ambrosius, ut provocent ad iracundiam: maledicunt, ut maledicamus: criminantur, ut crimen retorqueamus: conviciantur, ut exitent nos ad vicissitudinem contumeliæ. Peccator quum seipsum accusare debeat, non debet desiderare objecta negare: irasci aliis, reus conscientiæ propriæ; commoveri non debet, qui vult haberi miserabilis: alterum vulnerare, qui sua curat vulnera, quum nemo, alium vulnerando, se sanet; non debet peccator enarrare *justitias Dei* m, reprehendendo quempiam; de lege arguere, qui contra legem ipsam fecerit.

* 2. *Reg.* 16. 10. h *Mat.* 27.14 i *Catech.* 13. k c.53.7. l 1. *Ep.* 2. 23. m *Ps.* 49.16.

Silentio, & mansuetudine, ut alia quadam Basilius *n* homilia tradit, aut prodes inimico ad exemplum; aut graviùs vindicas te per contemptum: qui succenset irascenti, deterior hoc est, quoniam facit, quod reprehendit, & quòd alius absq; exemplo, quo retardari posset, iste exemplum turpiter se gerentis non vitans: immò istum censetur excusare, dum imitatur. Surdus, ac mutus aliquando Saul fuit, cum adhùc parvulus in oculis suis, despicientibus eum viris Belial, *dissimulavit o se audire*. Job etiam dissimulavit, siluit, quievit, veniente super ipsum indignatione, *nec stultum, quid contra Deum locutus est* p, sed nec adversus alios: Joseph ad adulterii calumniam nihil respondisse legitur *q*. Bonus mutus, inquit Ambrosius, qui loqui malè nescit, cujus ex ore crimen exire non novit: hìc est mutus verè beatus, qui quum tacet, intra se loquitur; & *linguam habet à Domino eruditam, ut sciat, quando oporteat dicere sermonem* r: Obmutescunt aliqui metu, *ut canes non valentes latrare* s: & qui abstinent à sermone quum maximè promendus esset, sive confitendo peccata, sive aliter; quod est veluti obsideri *à dæmonio muto* t: imperio, & necessitate compulsi: ut dæmones *u*: reprehensione convictæ conscientiæ, ut ingressus in Regis convivium *absque veste nuptiali x*, & præ ignorantia non habentes quid contradicant *y*: pœna infidelitatis, ut Zacharias Joannis pater *z*, patientia, & mansuetudine, ut hìc noster David, Job, Saul, Christus, de quibus diximus, aliique: judicio, & prudentia; ut iidem, omnique qui sapientis consilium sequutus; non respondit *stulto juxta stultitiam* suam, ne efficiatur ei similis *a*: Qui tamen non cavetur responsio, sed stulto similis, alioquin præcipit idem Sapiens *b*, ut respondeatur ei *secundum stultitiam suam*, ne sibi Sapiens esse videatur, hoc est, prout postulat, dignaque est stultitia ipsius, ne videlicet insolescat, & audacior ad maledicendum, nocendumque reddatur, quia non illi contradicitur. Nam si nihil officit, silentio potiùs, quàm responso confutandus est. Totidem ferè surdorum genera enumerari possunt, præsertim quum propter cognationem organorum, à nativitate idem esse surdus soleat, & mutus.

n *Hom. de ira* o 1. *Reg.* 10. 27. p *Job.* 1.22. q *Gen.* 39.

Bonus mutus qui loqui male nescit.

r *Isa.* 50.4. *secundum LXX.* s *Isa.* 56. 10. t *Mat.* 12.22 u c.10. 31. x *Mat.* 22.12 y 1. *Pet.* 3.15. z *Luc.* 1.20.

a *Prov.* 26.4 b v.5.

Felix Machetes Anachoreta, qui ad detractionis verbum, otiosumve, in somnum protinus concidebat: numquam somni torpore laxabatur, si spiritualis collatio agitaretur *c*. Felix David Monachus, cui concessus dumtaxat linguæ usus in concinendis Psalmis *d*: Felix alter monachus Anglus, qui divinitus domum scribendi pia carmina consecutus, nihil umquam frivoli, & supervacui poematis facere potuit *e*. Felix Antonius qui se apud Athanasium refert, quum ad fallendum dæmones coram eo psallerent, & de scripturis sibimet sermocinarentur, tamquam surdum non audivisse. Obstruendæ ad hujusmodi sirenas aures.

Machetes, Anachoreta David Monachus, & alii qua felicitate laudati.

c *Cassianus* 5. *de instit. renunc.* c.29. d *in prato spirit.* c.542. e *Beda* 4. *hist.* c.24.

Surditatis naturales caussas, vel tardi auditus, nec non privationis facultatis loquendi, Pepinus *f* ad mores persequitur satis accommodatè. Surdum efficit abundans caro, aurium arterias obturans, idest, copia bonorum temporalium; intensior sonus, hoc est, quum quis crebrum sermonem Dei negligit: multos honor intercludens meatus auditus, nempe luxuria. Tardiùs, vel omnino non audit, ut Hugo, & Alensis observat, qui longiùs distat, & elongat se à Deo *g*, quum longè sit à peccatoribus salus *h*: si medium sit crassius, & iniquitates dividant inter Deum, & peccatorem *i* veluti murus: si sint ligati sensus, ut in dormiente, qui spiritualiter est salutis propriæ negligens, peccatisque consopitus: si quis in subterraneis habitet locis quò non facilè subit sonus, hoc est si in profundo jaceat peccatorum *k*; contemnatq; : si obturet aures in aspidis morem *l* animo obfirmato ad malum: si animum avertat, & contemnat, cujusmodi est illusor *m*: si ventus deferat aliò sonum, videlicet superbiæ, & præsidentiæ opinionisque de propria scientia, ac prudentia. Mutum reddit linguæ quædam adhæsio ad palatum, quod vulgus filium vocat: humoris calidi effusio, unde apostema existit, quam appellant ranam; cibus, potus, aut quid aliud intra os, fauceique.

f *lect.* 39. & 40. g *Ps* 72. 27. h *Ps.* 118. 155. i *Isa.* 59.2. k *Prov.* 18.3 l *Psal.* 57.5. m *Prov.* 13.1

Tropologicè muti sunt, qui peccata quibus adhærescunt, non confitentur: qui docendo, & prædicando non latrant contra improbos *n*: qui muneribus corrupti veritatem reticent. Receptum satis, quod cecinit Maro de raucedine *o*, vocisque facultate, quam prior hominem videns homini eripiat lupus. Prodit id etiam Ambrosius *p*, & Plinius *q*, tametsi falsum Scaliger *r* contendat. Ratio antipathiæ est, quòd lupus dum prior videt, sese ad vindictam recolligit, sicque noxium quasi vaporem insufflat (Spiritus visivos hominis Thomas *s*. Cantapetrensis ab oculorum lupi radiis immissis comminiscitur exsiccari, tum arterias, & ita vocis instrumentum magis obligari) quum se deprehensum videt, visumque metuit, ac de fuga meditans, de vapore illo nihil cogitat emittendo. Vel horribilis feræ aspectus incurrit metum; hoc sanguis ad cor retrahitur, proinde membra frigescunt, ac rigescunt, tandem raucedo, vocisque impedimentum consequitur. Sua, & hic tropologia rapacis lupi Diaboli. Sed lusum satis, aut collusum potiùs, ut nonnihil, nimis libenter in his ludentibus, satisfieret, nec sine fructu tamen spirituali.

n *Isa.* 57.10. o *Eclog.* 9.

Raucedo homini à lupo accersita unde.

p *in c.* 10. *Luca*, & 6. *hexam.* q *l.* 8. c.22. r *exerc.* 344. *num.* 1. s 2. *de apib.* c.57.

Seriam magis quæstionem tractari posse video, liceatne ad convicta, calumnias, objecta crimina semper silere, & an ita sit quivis honoris, famæque Dominus suæ, illam, ut negligere, ac prodigere possit. Vera est August. *t* sententia; conscientiam nostram necessariam esse nobis, famam proximis: ac proinde crudelem esse qui famam negligit: quando, ut benè quis injunctum officium exerceat, necessaria est bona fama, quando ex charitate alteri tenetur prodesse, non autem sine bona fama potest. Alioqui constat petendi consilii caussa, studio humilitatis; ad vitandum superbiæ periculum, ut restituamus ablatam iniquè alii famam, fas esse nosmetipsos infamare. Quæ caussæ quum sint justæ, non censetur non parere sapienti *u*, *ut curam habeamus de bono nomine*, qui propterea minùs curat infamiam, sed in ea surdus, ac mutus est. Hac ipsa de re non disputationibus tantùm de Justitia nondum editis, egimus, verum etiam in commentario Ecclesiastæ *a*.

t *de bono viduit.* c.22. & *Serm.* 49. *de diversis.* u *Eccl.* 41.5. a *cap.* 7.2.

Tamquam surdus.) Græca vox *κωφὸς* non modò *surdum*, sed *mutum* quoque significat, quia consequens est surditati privatio sermonis, quum illa est à nativitate, ut Jurisconsulti tradunt *b*: immo Plinius *c*, & Aristoteles *d* docent, rationemque quærit quodam problemate Aphrediseus *e*, *διὰ τί οἱ ἐκ γενετῆς κωφοὶ δὲ ἄλαλοι*; In Patre Joannis, qui nec audiebat, quia nutibus agebant cum illo, nec loquebatur, divinitus ligati nervi utroque facultati servientes: alioquin ex morbo qui surdus efficitur, non item evadit mutus, ac vice versa *mutus* apud Matthæum *f*, & Lucam *g* appellatur, Græcè *κωφὸς*: sed apud Marcum *h* simul *surdus*, & *mutus* *κωφὸς, μογιλάλος*, *surdus, difficulter, aut vix loquens*. Hieron. in Matth. *i*, contendit, magis *surdum κωφὸν*, significare, quàm *mutum*: & ita etiam usurpatum hoc nomen legimus in Evangelio Matthæi *k*, & Marci, *l* & Lucæ *m*.

b *l. disertis* C. *qui test. facere possint.* c *lib.* 10. c.69 d 4. *de hist. anima* c. 9. e *l.* 1. *probl.* 138. f *Mat.* 9.32. c.12.22. c.15. 31. g *Luc.* 11.14. h *cap.* 7.32. i *in cap.* 8. k *cap.* 11.5. l *cap.* 7.37. m *cap.* 7.22.

Sicut mutus non aperiens os suum.) Aliquando *mutus* vocatur qui ægrè loquitur, Græcè *μογιλάλος*, ut apud Marcum citato loco, sed *ἄλαλος*, quod nomen hoc loco habetur, significat eum, qui loqui penitus non valet, licèt aperire os possit, & inconditam proferre vocem, quod ob eximiam patientiam negat David se fecisse.

Non habens in ore suo redargutiones.) Alia Psalteria, & Innocentius, ac Hieronymus in Jeremiam *n*, & Cyprianus *o*, & idem, aut Ruffinus *p*, *increpationes ἐλεγμούς*, quibus nempe purgare se posset, & adversarios convincere. Activè sumuntur non passivè *redargutiones*: etsi verum est quod nec haberet unde redargui deberet, aut posset David, longe verò minùs Christus. Similis in Michæa *q* phrasis; *Ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt*. Inde fit, ut *aperire os*, sit libera oratione uti, sicut alias *r* demonstravimus. *Si est tibi*, ait sapiens *s*, *intellectus, responde proximo*: *sin autem, pone manum tuam super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato*.

n *in cap.* 38. o *epist.* 27. p *in symbol.* q *cap.* 7.16. r *auct.* 18.14 s *Eccl.* 5.14.

De Christo locus hic Psalmi exponitur ab Enarratoribus, & à Cypriano vel Ruffino *t*, à Justino *u*, à Cyrillo Jerosolymitano *x*, ab Anselmo *y*. Paulam, refert Hieronymus *z*, si quando fuisset procacior inimicus, & usque ad verborum jurgia prosilisset, illud Psalterii decantasse, *Quum à consisteret adversum me peccator, obmutui, & silui à bonis*; & rursus; *Ego autem sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes*. Respondit interdum Christus, & Paulus, ut in Actibus Apost. docui; sed summa parcitate, modestiaque, & quum necessitas urgebat. Ambrosius, illud responsum quod Christus dedit percussus alapha *b*, vocat verè infirmi, & quasi qui se vindicare non posset, puerili quodam affectu fuisse loquutum Christum dicit. Nihil potest esse fortius (inquit Cassiodorus) nihil egregius, quàm audire noxia, & non respondere contraria. Hoc faciendum docet alibi Ambr. *c*, non quò resp. nequeas, sed quo respondere non debeas; omni non rei, ait tempus est; tempus tacendi est, & tempus loquendi: loquendum est; quando Dominus linguam eruditionis indulget, ut sermo tuus operetur in affectibus audientium. Quomodo autem te audiet, qui ideo tibi ob loquitur, quod salubrem tuum non velit audire sermonem? aut quomodo tibi acquiescat qui persecutor est, & velit te sibi vendicare? Cave ne mysteria correptionis, inquit hoc loco Gregorius, in arma vertantur furoris. Hoc ipsum priùs jam diximus, & dici adhuc plura ex prophanis quoque auctoribus possent, Verumtamen sapientis est tacere usque ad tempus, ac tacendo scire *tempus aptum* d. Vide ut sileas, Ezechiam monuit Isaias, noli timere *e*: quia *in silentio, & spe est fortitudo* f: *bonum præstolari cum silentio, & spe salutare Dei* g: continere in sinu opprobrium *h*: sedendo solitariè *levare se super se* i: idest tollere jugum: hymnum Deo dare, ac laudem, silentium *k* in tribulatione. Denique silentium Euripides responsi loco dixit esse, ut scribit Plutarchus *l*; addens adversus improbos, eo magis opus esse, quia humanioribus licet nos excusare. *Non vos defendentes carissimi*, ait Paulus *m*. Hæc ipsa optima censeri potest quam operatur pœnitentia, defensio *n*, *ἀπολογία*, linguæ nimirum continentia, quæ ceterarum moderationem passionum indicat aliasque virtutes: quoniam qui in verbo non offendit, hic perfectus est *o* vir. Consuluit moribus humanis natura, dum negans initio alicui auditum, negavit, & sermonem. Tormentum gravissimum esset posse audire, non loqui. *Præcipit Deus* p *ne quis maledicat surdo*, idest, forsitan ei qui est, ac se gerit sicut surdus eximia quadam patientia.

t *in symbol.* u *in Tryphon* x *catech.* 13. y *in Spec.* c.6 z *epist.* 27. a *Psal.* 38.2. b *Joan.* 18.23

Nihil fortius, nihil egregius, quàm audire noxia, & non respondere contraria.

c *in Ps.* 43. d *Eccl.* 20. e 6.7. f *Isa.* 30.15. g 30. 15. h *Thren.* 3.25 i *Psal.* 88.51. k *Thre.* 3.28 l *Ps.* 64.1.

Silentium responsi loco.

m *opusc. de pudore.* n *Rom.* 12.19. o 2 *Cor.* 7.11 p *Jac.* 3 2. *Lev.* 19.14.

Vers. 16.) Quoniam in te Domine speravi: ut exaudies me Domine Deus meus.

NOn redargui, non respondi, quia tu sine dubio, ut soles, egoque planè confido. jam aliàs expertus, audies maledicta, & calumnias adversariorum, exaudies intimum clamorem ad te meum, respondebis pro me, defixus in te animus, inque pœnitentia peccatorum, de responso cogitare nec potest, nec vult: opitulaberis profectò innocentiæ, pugnabis pro me; & ego tacebo *q*: in hoc fortitudo mea *silentio*, & *spe* consistit *r*: *etiamsi me occideris*, occidive permiseris, *sperabo in te* s; potens es liberare; quod si nolueris *t*, nec despondebo tamen animum, *Spes mea tu* u: tibi vindictam permitto, *quia retribues* x. Exaudiri maximè merentur, & misericordia digni sunt, qui erga alios benigni, & faciles extiterint, atque patientes, Dei amori, ac spei in ipsum condonantes alienas injurias. Quum crimina vellet Deus exaudire, negavit id se facturum, licet starent Moyses, & Samuel coram ipso *y*: rursus etiamsi Noe Daniel, Job *z*. Hi omnes, & deprecatores fuerant apud Deum pro aliis, versantes inter improbos, & summa patientia istorum toleraverant perditos mores.

q *Exo.* 14.14 r *Isa.* 30. 15. s *Job* 13. 15. t *Dan.* 3.17. u *Jerem.* 17.17 x *Deut.* 32. 43. *Rom.* 12. 19. y *Jer.* 15. 1. z *Ezec.* 14.14

Quoniam in te Domine speravi.) Hieronymus, *te enim domine expectabam*. Et hic ratio, quare mutuo, ac surdo similis, audire dissimulaverit, noluerit respondere, sed veluti signis, ac nutibus, ut muti solent, cum Deo egerit. Et ita Cajetanus vertit. *Quoniam ad te Domine expectavi, tu respondebis mihi*: non autem, ut recentior quidam Hispanus *a* asserit, *spectavi*, nempe oculis. Alii referunt hæc ad sequentia; quasi prima caussa, cur exaudiendus sit, sit quòd speraverit, speretque in Deum. Non debet quis inter judicem justum, & conscientiam suam, quidquam timere, nisi caussam suam; si caussam malam non habuerit, nullum accusatorem pertimescet, nullum falsum testem refellet, nullum verum requiret, ut Augustinus docet, quem Gregorius, aliique imitantur. Ut autem idem Gregorius de Christo ipso interpretatur, ait intelligi secundùm humanam naturam, sed nec sic quidem adeo propriè conveniebat ei ratio spei, uti aliquoties annotavimus; quia hujus objectum beatitudo est; qua illius anima semper fruebatur.

a *Pet. de Veg.*

Tu exaudies me Domine Deus meus. Abest, *me*, ab Hebræo, Græcoque textu, & à commentario Augustini. Sic intelligeret, Deum auditurum adversariorum verba maledica, ut pro ipso responderet. Nomen *Domini*, potentiam; *Dei*, scientiam; pronomen, *meus*, singularem amorem denotat, ac propterea, posse scire, velle exaudire sperantem in se, qui, & maledicos audiat, & maledicta tolerantem exaudiat, ac defendat. Liberalitas Dei omnipotentis, divitis *in misericordia* b, & *in omnes, qui invocant eum* c; amor, quo sic miseretur nostri, ut pater filiorum, optime noscens *figmentum nostrum* d; prolixa provocatio, & invitatio ad quidlibet petendum, & suavis quædam querimonia quòd non petamus *e*, & pollicitatio non dimidiæ partis regni, cujusmodi fuit Assueri *f*, & Herodis *g*, sed totius regni: naturæ propinquitas, ut os esse ex ossibus nostris, de carne caro sit dignatus, atque frater noster dici, minime confusus *h*: tanti suscepti labores pro nobis, usque ad pretiosi effusionem sanguinis, & mortem, hæ inquam, & aliæ hujus generis rationes excitare spem nostram debent, & ad nullo modo dubitandum, vel hæsitandum in oratione persuadere.

b *Eph.* 2.4. c *Rom.* 10.12 d *Ps.* 102.14 e *Joan.* 16.24 f *Esther.* 5.8. g *Marc.* 6. 22. & *seq.* h *Heb.* 2.11.

Vers. 17.) Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Spero me auditum, ac liberatum iri, o Deus abs te, idque inter orandum dicere soleo, vel mecum ipse meditando, quia etsi hostibus non valde velim, nec sanè id à te poscam, desideremus, honestum tamen, piumque judico, si & tu ita judicas, ut equidem persuadeor, ne illi lætentur malis, ac ruina mea, & protervè, superbè, petulanterque, insultent, improbum, & impium appellantes, & pœnas tibi me hac caussa dantem. Hinc namque fit, ut virtus, pietasque, cui me addictum probè intelligis, jaceat, & proteratur, dum sileo, ac nihil ad objecta respondeo. Non recuso plura, si opus sit, adhuc pati; timeo honori tuo, ne veniat apud alios in discrimen bonitas, providentia, potentia tua, quum nesciri tandem non possit iniquitas persecutionis, atque innocentia mea; cui dum non favere videris, crederis ab insipientibus, & impiis nulla harum virtutum pollere; & ceteri à probitatis, B quam sic deleri a te putant, studio, atque exercitio deterrentur.

Pungit graviter etiam ipsa hostium per se insultatio, de qua diximus Psalmo XII. a *qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero*, & Ps. XXIV. b *neque irrideant me inimici mei*. Quomodo etiam in Christum crucifixum Judæi insultaverint, liquet ex historia Evangelic. Attulisse sibi manus dixi, ne ad manus venirent hostium, nonnullos, ut Catonem, Annibalem, Marium, Saulum. Diabolus quoque de Regibus triumphat, & *tyranni ridiculi ejus* c, conturbatur in occursum talium infernus cum gigantibus, & principibus illius d, Samsoni Philistæi insultaverunt e, qui typus ejus est, qui præstans animæ concupiscentias, datur in gaudium inimicis f. Hos Jeremias deflebat, aperuisse os suum inimicos super civitatem, & gentem suam * & ne id Gethæi facerent mortuo Sauli, David cavebat illius ipsis mortem annunciari g: & Christus apud Michæam h; *Ne læteris super me inimica mea, quia cecidi, consurgam.* Tam Deo displicet insultans alteri, ut calamitates, & C insultantem regerat i. Propterea dira sibi David Psalmo VII. k imprecatus est: si id faceret: & Job l negat se ullo modo fecisse.

Possum ego alia, & vetera, & recentia humanitatis, clementiæ, moderationis in victoria, exempla narrare. Congessit nonnulla theatri humanæ vitæ auctor, & alii, atque opposito genere alia. Denique optima illa ratio ad dissuadendum, ne cui quis insultet, quoniam *in gaudium aliorum*, inquit Ecclesiasticus m; *nolumus venire. Gaudium Angelis* est super nostra n; dæmonibus viceversa super damnatione. Hujus gaudii exemplum in dialogis Gregorius o memorat, scribens de Andrea Fundano Episcopo.

Quia dixi.) Decrevi, ac veluti regio more, quod dixi, ratum haberi volo *Silentium in cœlo factum* narratur *quasi media hora, quando fumus ascendit incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli* p. Videlicet vis orationis justorum tanta, ut ad eam conticescat cœlum: & quasi sentiat imperium eorum tamquam regum: & certi sint justi se exaudiendos. Unde etiam Paulus q, D petitiones vult innotescere Deo, cum gratiarum actione, ut perinde, ac si jam impetrassemus, gratias agamus pro petitionibus, quæ videlicet debito fiant modo.

Ne quando supergaudeant mihi.) Hieronymus, *ne fortè insultent mihi*. Augustinus, & Cassiodorus, *ne quando insultent in me*. Simplex est Hebræum verbum ישמחו *iismechu*, Græcum ἐπιχαρῶσι, compositum Basilius, insultationem complosione manuum factam explicat. Multis modis præterea fieri solet, sive verbis, sive gestibus, factisque.

Inimici mei.) Addita sunt hæc à septuaginta, & omisit Hieronymus.

Et dum commovebuntur pedes mei,) Hieronymus; *& quum vacillaverint pedes mei*: ut nunc sunt puncta, pes numeris singularis est רגלי *ragli*, legerunt veteres רגלי *raglai*, forma multitudinis. *Lapsus pedum, commotio* r, *offensio* s, *esse in lubrico* t, denotat ruinam, calamitatem, casum adversum, è contrario *firmitas pedum* u, & *servari pedes* x, *& dilatari* y, significat constantem rerum secundarum statum tenere: & tropologicè, firmam vir-

a vers. 5. b vers. 7. c Hab. 1. 10. d Isa. 14. 9. e Jud. 16. 17 f Eccl. 18. 31 * Thre. 2. 16 g 2. Reg. 1. 20. h cap. 7. 8. i Pr. 24. 17. 18 k Ps. 7. 12. K vers. 5. l cap. 31. 29. m c. 8. 8. n Luc. 15. 10. o lib. 3. c. 7. p Apoc. 8. 1. 5 q Phil. 4. 6. r Deut. 32. 35. s Ps. 129. 3. Ps. 93. 18. t Ps. 90. 12. u Jer. 13. 16. x Jer. 38. 22. y Ec. 26. 23. Ps. 17. 34.

A tutis possessionem conservare. Columnas z Joannes vidit pedes Christi esse: & sponsa sponsi crura comparavit cum columnis marmoreis, quæ fundatæ essent super bases aureas a: & mater Samuelis illorum servari à Deo pedes cecinit, *super quos posuit orbem* b. Morali sensu Dixit David c pene motos pedes, pene effusos gressus suos, idest, penè de recta sententia providentiæ divinæ dimotum fuisse. Dupliciter exponit Ambrosius; vel tam prompti sunt ad insultationis ludibria, ut in commotione pedum meorum paratam habuerint magniloquentiam: vel, *dum commoventur pedes mei*, idest, putantes, quod caderem, superba jam, & magniloqua sunt locuti. Monet porrò, quod sanè verum est; sensum ipsum frequenti translatione ex Hebræo in Græcum, ex Græco in Latinum, attenuari consuevisse; fieri potest, ut hoc loco David non solum intelligat adversum casum; sed ne si fortè propter illum decideret de mentis constantia, minusque fortis evaderet, minus de Deo rectè sentiret, hac de caussa exultarent, insultarentque adversarii ejus. *Pedum commotionem* mysticè B declarant de Apostolis commotis, & vacillantibus in passione Christi: & de pedibus in utramque partem, tum bonam, tum malam, Hugo Cardin. sive Alensis multa dicunt.

Super me magna locuti sunt.) Hieronymus, *super me magnificantur*; Symmachus, κατεμεγαλαυνονταί μου, *super me*, sive *contra me magnificant*, ut sit sensus, ne fortè, lætentur in me, vel, de me, hi qui dum declinant pedes mei, adversus me magnificare solent os suum. Addit, interpretes explicationis gratia, *magna loqui*, reddiderunt μεγαλοῤῥημονεῖν, *quod Hebraicè est* הגדיל *higdil magnificare rectè*; ut innuatur antithesis ad patientiam Davidis, quum velut mutus non aperiret os, nec haberet *in ore suo redargutiones*, quod antea dictum est. Eadem prorsus phrasi, verbisque Psalm. LIV. d habetur; *& si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset*. In Psalmo XI. e lingua magniloqua composito quoque vocabulo Græco μεγαλοῤῥήμων, Hebraicè dicitur *loquens magna*, מדברת גדולות *medabbereth ghedoloth*. Ubi quæ diximus ad hunc etiam locum faciunt. Nescio ubi legerit Thomas Hieronymi versionem hic habere, *deficio*. Ambrosius, Augustinus, Cassiodorus, Psalterium Romanum, paullo clarius pro, *super me*, legunt, *in me*, Secundùm allegoriam magna, superbaque verba fuerunt illa, quæ in Christum crucifixum, & à suis destitutum, qui tamquam pedes mutaverant, jactaverunt Judæi. Injuriosa verba intelligit hoc loco Apollinarius:

Ἀπέχραον ὑβριστῆρες,
Urgebat contumeliosi,

Incredibilis in hominibus, maledicendi, obtrectandi, detrahendi, aliena facta, moresque criminandi libido. Acerbè in hoc vitium invehitur Hieronymus f, simul in faciles auditores: ruinam enim utrorumque improvisè, ac brevi venturam g; caussam tantæ proclivitatis indicat h, quòd malorum solatium videatur, bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum: vel quòd aliorum vituperatione lau D dabiles videri velimus i: denique paucos admodum esse, qui huic vitio renuncient, raroque inveniri, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhiberi velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantam vero hujus mali libidinem mentes hominum invasisse, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istum tamen quasi in æternum Diaboli laqueum incidant; ideò malum hoc celebre esse, idcircò in multis fervere hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur. Plura nos antè Psalm. XIV. k *opprobrium non accepit adversus proximos suos*. Sed tam altè radicatum malum sæpius vellicandum est, si qua tandem ratione valeat evelli, ac extirpari. Egi præterea in idem vitium Commentario Ecclesiastæ l, & Actuum Apostolorum m, & Sapientiæ n. Paulinus, in Ambrosii vita narrat, quum casu quidam esset pede lapsus, atque prostatus jaceret in terra, risissetque Theodulus tunc notarius, postea Mutinensis Episcopus, conversum Ambrosium dixisse, *Et tu qui stas, vide ne cadas*; moxque qui alienum lapsum riserat, suum doluisse. Quadrat in tales imprecatio illa, *Memor esto Domine filiorum Edom in die Jerusalem;*

z 1. Reg. 2. 9 a Ps. 17. 37. b Apoc. 10. 1 c Cant. 5. 15. d 1. Reg. 1. 8. e Ps. 72. 2. Mystica expositio. f vers. 13. g vers. 4. Allegoria. h Ep. 4. i Pr. 14. 22. K Ep. 4. l Ep. 14. m vers. 3. n in c. 23. & in c. 1. 11. De Theodulo Morinensi Episcopo narrata. Ps. 136. 7.

salem; qui dicunt Exinanite Exinanite usque ad fundamentum in ea.

Vers. 18.) Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Vers. 19.) Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Nova caussa exauditionis sperate, opisq; imploratæ, quia inflicta à te Deus flagella, ea suscepi animi voluntate, qua beneficia, donaq; alia tua, & adhuc ad eadem perferenda, quod quotiescumq; placuerit infligere promptus, ac paratus sum; unum præ oculis mentis continenter, & in corde dolorem gerens de peccatis meis, quibus nulla non deberi supplicia certò scio: Hæc ego tibi peccata ingenuè confiteor, semper fatebor. Una ut urit cura ista, & sollicitudo anxium tenet, tenebitq; ut B jugiter cogitans de peccatis, quamvis tua deessent flagella, perfectam studeam abs te reconciliationem impetrare, te perfectè placare, tibi omnino satisfacere, ut non inveniat culpa quod damnet, quam pœna prævenerit a. Vel simul indicat, quàm sit separaturus auxilium necessarium, curq; magna inimici adversus ipsum loquerentur, quòd videlicet continuo urgeatur, ac veluti flagelletur metu, doloreq; impendentium, ac instantium malorum, & ipsa peccatorum cogitatio sævius etiam eum discrutiet, ac veluti ad verberum ictus expositum constituat, quos videatur sibi absq; cessatione excipere, vel intentio exertoq; brachio jamjam vibrandos denuo, videre. Pœnitenti congruit hæc oratio, & compuncto; nec non etiam patienti Christo: quibus duobus modis exponitur ab enarratoribus. Obtulit se David confitentes se peccasse, inique egisse, non populum, & obsecrans verti manum Dei contra se, Deo flagellandum potiùs, quam hominibus b, quamvis initio deprecatur ne *in furore*, vel ira Dei argueretur, & cor C riperetur: sed optio tunc de tribus data fuit, uniusq; necessitas. Nunc, ut notat Ambrosius, etiamsi nihil mandetur, ad omnia paratus est, ac imperterritus, sciens quòd si hic fuerit punitus supplicio temporali, levare in futurum perpetuæ possit pœnam erumnæ: Idem David fugiens Absalonem, dixit ad Sadoc, *Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam; & tabernaculum suum: si autem dixerit, Mihi non placet; præsto sum faciat quod bonum est, coram se* c. Alius Propheta d iram se Dei portaturum recepit, quia peccaverat ei: Christus oblatus, quia ipse voluit, *corpus*: suum dedit *percutientibus, & genas suas vellentibusque* adhuc in cruce sitiens flagella, continuò per sympathiam, ut Didymus ait, præ oculis, & in corde habuit dolorem nostrum, & in eo, in quo passus est ipse, & tentatus, nobis, qui tentamur auxiliatur e, nostra, ut sua computans peccata; certosq; reddens, quum à Patre flagellamur, qui illi ipsi non pepercit f, nos g tamquam filios tractari. Quin etiam, ostendit se D Christus Petro ex urbe fugienti, paratum iterum crucifigi si opus esset, cujus rei testes Patres à me aliàs citati, & monumentum loci via Appia: præterea Carpo, ut Dionysius ad Demophilum scripsit. Præter hujus tractatores loci, de Christo etiam exposuit Isidorus i; Cyrillus Alexandr. k, Nicetas Choniata l, Antonius Marinarius m, & Acosta n noster, & alii: Paratus quidem Christus, & non turbatas, paratum cor habens semel, iterumq; ad contumeliam, & tormentum; sed Pater tamen etiam *aures perfecisse* alii *ad obediendum* dicitur o, aut perfodisse ad serviendum, vel *corpus aptasse* p ad patiendum, ut suo loco videbimus.

In flagella paratus sum.) Hieron. *ad plagas*. Alii ex Hebræo, *ad claudicantionem*, ad fracturam, contritionem, interitum. Hebr. vox est צלע *tselah*, & Symmachus, εἰς τὸ σκάζειν, *ad claudicandum*, Chald. לתברא *lithbara, ad contritionem*. Suspicio potest esse lectam aliam vocem צרע *tserahh*, quæ *lepra*, lepræva plaga, & intellexisse LXX. atq; Hieron. coopertum plagarum verberumq; ubicibus corpus, in similitudinem lepræ

a Ambros. b 2. Reg. 24. 13. 1. Par. 21. 13. c 2. Reg. 15. 25. 26. d Mich. 7. 9. e Is. 50. 9. f Heb. 2. 18. g Rom. 8. 32. h Heb. 12. 7. Prov. 3. 12. Apoc. 3. 19. i de pass. com. cap. 29. K Ep. ad Theopompum & alios. l 3. Thes. c. 6. m l. 2. consonantia Jesu, & Prophe. n 8 de Christo revelato. cap. 22. o Ps. 39. 7. p Heb. 10. 5.

A notis cooperti. *Claudicatio* item denotat tantam vim plagarum, ut quis consistere, ac ingredi pedibus rectis non possit: ita ut paratus ad claudicationem, rectè dicatur ad flagella, sed videlicet multa, & sæva. Nec tamen assentior Agellio, synagogam vocatam à Michæa q, צדולעת *tsolebhah, claudicantem* eadem verbi affinitate, quasi צורלעה *tsorebhah, leprosam*, & veluti expulsam propter lepram. Concedo *congregandi*, & *colligendi* verba, quæ ibi de claudicante ejecta dicuntur, postquam redit in gratiam, dici quoq; de leprosis r, ad ideo *ejectam* dici, & *claudicantem*, synagogam, ut *leprosam* significetur esse, non admitto. *Claudicans* appellatur, quia non incidebat rectè in Dei cultu, sub divertebat quandoq; ad Idola. Nam hac de caussa Elias dicebat s. *Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: autem Baal, sequimini illum*. Ejecta erat, quoniam dispersa in captivitate, si conjecturis locus datur, non levior, ut לצלע *letselahh*, alia satis communi notione, sit ad latus, & constam paB ratus sum, nempe, vel, ut nudetur ad flagella, vel, ut in alterum latus incedam in morem claudicantis, vel, ut etiam labar, & cadam. Ubi flagellorum mentio apte at, sive propriè sive figurate.

Paratus sum.) Intelligit, vel a se ipso, vel à Deo, vel ab aliis. Primo modo designat promptitudinem animi. Davidis ad quævis perferenda flagella, quæ Deus immittat, aut permittat; ut quum alibi *paratum cor* suum dicit, ac denuo *paratum* t: & *paratum* se esse nec *turbatum* u. Talem peccatorem bonum, optimum licet appellare, cum Origene, & si talis ego sim, possum cum Gregorio dicere, *Prosit Domine quod peccavi*. Hic dolus bonus, errorve nominari potest, felixq; culpa. Juxta modum secundùm significat se à Deo destinatum, ordinatum, expositum ad flagella, ea ratione, qua paratus dicitur ignis *Diabolo, & Angelis ejus* x: paratum Amano malum à Rege y: positus Christus tamquam *signum ad sagittam* z, & *cui contradiceretur* a. Tertius prior similis indicat, judicavisse Davidem conspirasse adversarios, ac penitus animo destinasse ipsum ad morC tem, & omnis generis vexationem: quod important quoq; secum, citatæ paullo, antè dicendi formulæ. Prius modus Græcis placet, majoriq; Latinorum parti, secundum sequuntur Hebræi, quiq; illis addicti sunt, quasi eò processerit Dei voluntate, aut permissu calamitas, quam flagellatio, ac verberatio, laterum costarumve maximum dolorem infligens, & noster demonstrat Pineda b, designat, ut nisi succurrat, pronus in interitum ruiturus sit, quem ipsi claudicationis nomine; de quo dixi, interpretantur. Confirmat Jerem. c testimonio, quum quod Latinè legitur, *custodientes latus meum*, vertunt ex Hebr. צלעי *salhhi, claudicationem meam*. Totus locus congruit cum isto, & cum prioribus versibus. *Audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu: persequimini, & persequamur eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei* (hoc antea dicebatur; *amici mei, & proximi mei adversum me*, &c.) *& custodientes latus meum* (Hebr. *observantes claudicationem meam*) *si quomodo decipiatur* (idest, quod hic priùs habebatur, *dum commoventur pedes mei*) *& prævaD leamus adversus eum, & consequamur ultionem ex eo.* Quidquid sit de loco isto Jeremiæ, in quo nomen צלע *tselahh*, interpres Latinus *latus* rectè reddidit, quia id etiam significat, favet August. modo dicendi secundo, dum sic explicat: Ad hoc natus sum, ut flagella sufferam, quia natus de Adam, cui flagella debentur. Arnobius consentit, & alii nonnulli, sive aptet nos Deus ad flagella, sive nos ad ea nos sponte accommodemus, nec de illis esse velimus, qui non sint *in labore hominum, & quum hominibus non flagellentur* d, magnum habebimus argumentum nos ei probari, qui *flagellat omnem filium quem recipit* e, ut antea dixi.

Proditum est, Ambros. quum hospes sese rebus secundis efferret, nullasq; umquam adversas passum referret, illico quum suis exiliisse, ac brevi admodum post domum cui habitatoribus corruisse, hosq; hiatu terræ absorptos esse, ibidem succrescente lacu, tanti prodigii perpetuo monumento. Baronius in Vita Ambrosii, quam scripsit adhuc privatus, nullum se veterem hujus rei auctorem legisse ait. Atqui B. Thomas hoc loco meminit (præter illos recentiores S. Antoninum f, qui citat

q cap. 4. 6. r Num. 12. 14 4 Reg. 5. 27. s 3. Reg. 18. 21 t Ps. 107. 2. u Ps. 118. 60. x Mat. 25. 41 y Est. 7. 7 z Thren. 3. 12. a Luc. 2. 34. b in cap. 12. Job. v. 12. n. 5 c c. 20. 10. d Ps. 72. 5. e Heb. 12. 6. De hospite Ambrosii memoriæ prodita.